

AK. 19

(X272 5837) P. 1100

II m
2897

REINERI REINECCI, STEINHEIMI
COMMENTATIO
DE
SAXONVM
ORIGINIBVS:

hisque implicata atque an-
nexa de

VRBE ET DVCATV BRVNSVIG.
exquisitio.

Quæ instar APOLOGIÆ opponi possunt
inconsideratæ IOANNIS BODINI assertioni
lib. 2. de Republicâ cap. 6.

Editio altera, ad retundendam

IOANNIS TAVTI, I. V. D.

in discursu suo falsam opinionem,

IVSSV SUPERIORVM

ex auctoris autographo expressa.



HELMÆSTADI,

Typis heredum IACOBI LVCI,

Sumptibus Zachariæ Raben, bibliop.

ANNO M. DC. XX.



UNIVERSITÄT
HALLE
AN DER UNIVERSITÄT
HALLE





D N.

HENRICO-IVLIO,
PRAESVLI HALBER-
STADENSI,

DOMVS BRVNSVIGENSIS ET
LVNAEBVRGBENSIS PRINCIPI PO-
TENTISSIMO CLEMENTIS-
SIMO QVE,

HERCVLI MVSARVM,

*Subiect. obseq. modesta-
rumque Vindiciarum
ergò.*

Rein. Reineccius.



FRIDERICO-VLRICO,
Duci Brunsvicensi & Lunæburgensi,
Domino clementiss.

GAVUS IEHOVAE, carus omnibus bonis,
Numquam patronus improbae visus rei,
REINECCIUS, tuo parenti Principum
GERMANIAE, vel teste Momo, principi,
Hoc eruditum & elegans opusculum
Sacrauit olim, sed typis non tradidit
Sublatus atrâ morte: quod diutius
Pressum tenebris ne malignis marceat,
En integrum nunc, quale pennis excidit
Auctoris in cartas nitentes, insimal
Injuriosis vindicatum à morsibus,
Dux nocte PACIS nomen atque GRATIAE,
Tibi offero: tu jura sanguinis tui
Ex ultimâ deducta ritè origine,
Contra Theonis Gallici impudentiam
Videns, fave auctoris beatis manibus:
Fave editoris diligenti industriae.

Henricus Meibomius.

Proœ-



Prooemium.



VM IOANNIS BODINI Andegauensis, Galli, libri de Republicâ in Germaniâ recusâ essent, avidèq; à multis legerentur, inventi sunt viri cordati patriæque amantes, qui effrenem hominis fastuosi intemperiem in criminandis fugillandis-

que magnis quibusdam Imperij Romano-Germanici principibus ægrè ferentes, optarent prodire aliquem ex nostratibus, qui plusquam insanis istis vociferationibus & calumniis masculo animo ex rei veritate contradiceret. Veniebant iisdem in mentem injuriæ frequentes, cæque non leves, in methodo historicâ aliquoties recusâ, superbè ac sine rubore in gentem nostram effusæ. Non dicam de acri seu sophisticâ & malitiosâ disputatione, quâ Germanos Imperij Romani axiometate exuere conatur: nam ea per se corrui, inventique sunt viri docti ac intelligentes, qui veritatis patrocinio suscepto insolentem petulantis ingenij pruriginem dignis modis excepere. Alia sunt quæ Φιλοπάτριδες illi in methodo minimè ferenda existimabant. Nempe
(1) 3 quòd

P R O Æ M I V M.

quòd Germanis perfidiam improperat: quòd Francos in Galliam è Germaniâ venisse eâ lege tolerare velle videtur, ut iidem veterum Gallorum fuerint coloni, quæ assertio cum omnium historicorum consensu pugnat. Præterea quòd Cornelij Taciti testimonium, innocentiam majoribus nostris tribuentis, eludere conatur: quòd in Religione inconstantiam mirasque nobis exprobrat sectas, sed ut de re parum cognitâ perspectâq; temere judicet: quòd Gallos suos à leuitate, quâ ab omnibus notantur, liberaturus, eam in inferiores Germanos, quos Scythas vocat, devoluit: denique quod unum hoc agere videtur, ut omnibus virtutis ornamentis Germanos spoliatos abs se dimittat. Hæ obtrectationes homini arroganti supraq; modum maledico, minimè condonandæ, sed vindicias postulare videbantur. Memini tum fuisse in aulâ Guelficâ & alibi, qui Reinero Reineccio, per id tempus academix hujus historico primo, viro magnæ eruditionis accuratique judicij, auctores essent, ut partes Bodino respondendi imponi sibi pateretur, quod ab ipso exigere videretur illustrissimæ Ducum Brunsvicensium ac Lunæburgensium familiæ, à Bodino per summum scelus tyrannidis accusatæ, debita gratitudo. Etsi autem ille à contentionibus, ut qui maximè alienus erat, cœpit tamen pro principibus suis contra rixatorem illum aliquid meditari, sed ut rem aliquantò altiùs ordiretur, nimirum à Saxonum originibus, eorumq; institutis, formula imperij, ordinibus, &c. hoc modo com-

P R O Æ M I V M.

do commentationi majorem fidem, simul gratiam conciliaturus. Hunc suum laborem auspicatus est 30. Septembris, absolvit tertio Octobris, exscripsit nono ejusdem mensis die, anno 1592. ut testatur ejus *αὐτόγραφον*. Eas cartas cum amicis legendas exhibuisset, deque nonnullis, aut admonitus esset, aut diligentius cogitasset, coepit telam retexere in sumpto in eam rem biduo, à 25. die Novembris usque ad 27. anni ejusdem, ut iterum manu suâ testatur. Post illud tempus subinde ad pagellas istas sepositas redijt, nunc marginibus aliquid adscribens, nunc schedas in quibus aliquid annotarat, infarciens, signis semper, ubi has *δευτέρας Φεγγίδες* inseri vellet, curiosè & diligenter addens. Cùm autem non multò post, anno nimirum 1595. vitâ excederet, factum est, ut optimi viri foetus in bibliothecâ ejus delitesceret annis circiter decem. Tunc enim V. CL. Adamus Luchtenius, Doctor Medicus & Professor, cui vidua defuncti nubserat, Reineccianam istam lucubratiunculam, inter reliquas cartas inventam, mecum benevolè communicavit, plenâ factâ potestate, si operæ-pretium vel necesse videretur, in lucem edendi. Quâ in re cùm tardiùs procederem, neque tamen obscurum esset, commentatiunculam illam apud me latere, fuerunt, qui vindicias istas illustrissimæ principum nostrorum familiæ jure aliquo à me efflagitarent. Quibus gratificatus sum libenter, exhibens candidè & sincerè tam priores, quàm posteriores accuratissimi viri curas & cogitationes. Accidit autem, ut me, quod Deus *ὁ καρδιογνώστης* novit,



PRŒMIUM.

vit, in scio, à quodam veritatis amante, quem deinceps, rem cum animo cogitans, ignorare nullus potui, postumum hoc opusculum typis VVechehanorum heredum excudi curaretur. Quod consilium etsi improbare non potui, neque etiam debui, cum scirem publicè interesse, nullamque fraudem intervenisse, dolui tamen & vehementer quidem, non posteriorem Reineccij lucubrationem elaboratam, sed priorem, effusam potius, in manus hominum pervenisse. Nihil tamen evulgator de suo addidit, sed auctoris verba diligenter retinuit, hoc tantum, quod à me hodiè præstatur, nescio quâ incuriâ, nam culpa nulla subest, non præstitit. Ab eo tempore cœpi ipse cogitare de novâ editione procurandâ, tum ipsius Reineccij *τὸ μακαρίτης* causâ, ut nimirum de ejus officio, fide ac industriâ constet, tum propter lectorem, ut ille de illustri hodieque plus satis etiam ad sanguinis effusionem, agrorumque depopulationem tristissimam agitato argumento, sufficienter edoceretur. Putavi pientissimos optimi Reineccij manes illud à me quasi efflagitare; neque sine flagitio recusari posse. Dum autem id mecum cogito, accidit ut casu scriptum quoddam polemicum, auctoris nomine suppresso interciperetur, cujus sarcinator, ut impunè principibus obloqueretur & contradiceret, ignorari voluit. Qui foetus cum in meas etiam manus pervenisset, cum stupore deprehendi vespertilionem istum inter alia nugamenta, sive paradoxa, quibus centunculum illum malè fartum & feriatum

tum

PROÆMIUM.

tum distendit, opusculi Reinecciani postumi admodum inclementem incivilemque facere mentionem: Supra modum enim huic scripto irascitur, fremit & indignatur. Sed audiamus stomachantis ampullas & tonitrua plusquam Claudiana. *Quarti*, inquit, *ab inferis sibi præsidia colligunt, præstantissimo quodam historico ex mortuis revocato, ut & viri illius dogmata, quæ vivus professus est, in dubium revocent, & per A. Bodinum mortuum, quem vivum coram intueri non fuissent ausi, alios notent, de quâ re Deo volente suo loco.* (*De libertate nostrarum civitatum in genere Renat. Choppin. de Doman. lib. tit. 12. De republicâ autem Brunsvicensi in specie meminere illustres & summi Jureconsulti: ex Germanis Hieronymus Schurffius & Dn. Andreas Gail. Ex Italis Dn. Martæ primam Juris Canonici cathedram hodie Patavii regens, in tractatu de iurisdic. p. 1. cap. 26. numer. 65. Ludovici Cesaris exemptionem, (quæ brevi, Deo volente, in lucem cum aliis dabitur) adducens: ex Gallis Bodinus de Repub. lib. 1. cap. 9.*

(2)

fol.



PROOEMIUM.

fol. 125. Et lib. 2. cap. 26. fol. 227. in edit.
 Paris. Scripsit autem Bodinus tria, primò
 civitatem Brunsvicensem esse liberam, qua
 sententia indubitata est: secundò addit ex-
 emptam exemptione accidentariâ, qua sen-
 tentiâ summos in Imperio vertices adstipu-
 latores habet, quod de illorum iam olim pu-
 blicatis scriptis elucet. Tertio subiicit Rem-
 publicam illam sese propter tyrannidem
 Ducum exemisse, quo nomine à personato
 hoc auctore reprehensus est. Is si tacuisset,
 melius sibi consulisset. Sed hæc suo loco
 D. U. fundatè refutatis adversariis tra-
 ctabuntur.)

Porro tanta est illius admissi evidentia, ut qui
 Reipublicæ illustris Brunsvicensis negocia cognita ha-
 bet non possit non primo statim intuitu fraudem de-
 prehendere. Editum enim est hoc anno (1612.) Ha-
 novia opusculum sub nomine Reineri Reineccij po-
 stumum, ubi talia adferuntur, quæ post mortem il-
 lius viri contigerunt, ut per rerum naturam illi in-
 notescere non potuerint. Ut alias evidentes cir-
 cum-

PROŒMIUM.

cumstantias fraudis admissæ irrefragibiles indices o-
mittamus. Quare cum pagellæ istæ nobis recitaren-
tur affatim risum est.

Parcimus honori & nomini illius, sed ita ut ad-
monitus causæ deploratissimæ, quæ illi ad facti &
juris veritatem quod attinet, planè ignota est, sed
meritò notissima esse debebat, ejus artibus porrò non
patrocinetur neque Reipub. illustris fidos consilia-
rios, à quibus nunquam laesus est, provocare am-
plius pergat.

Is ergo personatus auctor libertatem Rerum pu-
blicarum illustrium inferioris Saxoniae nihil aliud
quàm veterem à muneribus nonnullis vacationem,
vectigaliumque atque tributorum immunitatem es-
se, sibi imaginatur, & interim dum illa in medium
profert, se & factum, de quo pronunciat, & jus se-
cundum quod de illis Rebus publicis pronunciandum
est, planè ignorare ultrò fatetur: ut refellendus non
sit, cum à notorietate evidentissimâ, quæ in oculis
totius orbis, instar solis in vigore suo per multa secu-
la in violabiliter lucentis, tanquam à doctore certis-
simo planè confusus, & se ipso etiam refellatur, & ra-
tiones quærere, ubi sensum certissimum Dd. habe-
mus, hominum mente corruptorum est.

(2) 2

Quem-

PROÆMIUM.

Quemadmodum enim sensus communis ni vis albedinem & corporum nigredinem demonstrat, atq; dissentientes de iudicij atque sensuum defectu convictos redarguit: Ita eodem modo allata libertatis descriptio funditus confutatur: cum omnes, qui inferiorem Saxoniam & maximarum Rerumpublicarum illius statum illustrem oculis viderint & adhuc vident, etiam exteriorum sensuum iudicio semper deprehenderint & adhuc deprehendant, longè aliam illarum civitatum ἀξία atq; ἰσότης esse, quàm ut numerum vacatione & tributorum atque vectigalium immunitate definiiri possit. Rejiciantur ergo ab hac tractatione disputatores illi, ut prius facti jurisque veritatem addiscant, antequam suis se ineptijs huic argumento immisceant, &c. Hæc sunt quæ Reineccio-mastyx κενταυρικῶς cum ingenti boatu, doliorum vacuorum magnos sonos edentium & empiricorum sive rabularum in foro clamantium, instar (libet enim ab eo elegantes formulas mutuari) euomere non dubitavit. Quæ cum legerem, uti memini antea,

Obstupui, steteruntque comæ & vox faucibus hæsit.

Quidni enim? Erat in manibus meis Reineccij commentatiuncula, non peregrinâ, sed ipsiusmet auctoris manu exarata: constabat mihi de toto scriptionis

PROŒMIUM.

ptionis negotio, quibus auspiciis suscepta, quis
ejus progressus fuisset. Admirabar insolentem ho-
minis, ne quid gravius dicam, audaciam, contra ve-
ritatem, quæ mihi in animo, oculis & manibus, tam
strenuè debacchantem, iterumque de novâ opus-
culi postumi editione mecum deliberabam. Ve-
rùm intervenit urbis Brunsvicensis obsidio, quam
excepit belli compositio, & exinde homagij præsta-
tio. Omnem itaque editionis institutæ cogitatio-
nem seposui, ratus infelicem istum tenebricosi cen-
soris partum oblivioni damnatum ad lucem homi-
numve aspectum nunquam adspiraturum. Ve-
rùm opinione meâ nimium quàm falsus sum. Pro-
ximis enim nundinis Francofurtensibus vernis pro-
diit liber hujus inscriptionis:

*Joannis Tautii J. V. D. Discursus gene-
ralis & specialis de Rerumpublicarum infe-
rioris Saxonie illustrium perfecto regimine
& statu, oppositus Guelficis male consutis
centonibus, &c.*

Qui Tautius, si idem est cum Ioanne Dauthio
Ochsenfurtano, quem ante hosce quadraginta tres
annos Lipsiæ Iureconsultum renunciatum recor-
dor, demirari satis non possum hominis ætatis
provehentioris inconsiderantiam. Ad Discursum
ipsum, frustra καὶ ἐξω τῆς ὁδοῦ, ut in proverbij, cur-
rentem, quod attinet, non deerunt illustrissimo



PROÆMIUM.

Principi FRIDERICO-VLRICO viri docti, qui auctori secundum stultitiam suam, ne sibi sapere videatur, masculè respondeant, quanquam satis superque responsum sit verè heroicis & incomparabili Heroë (quem vivum hic Aristarchus intueri ausus non fuisset) dignis monumentis, quæ Momus iste, sive tertius è cœlo lapsus Cato, unus & unicus heptauoëo animo centones male consutos appellare non dubitavit.

Mihi in præsentis est controversia cum eo de Reineccij opusculo postumo, quod commentitium, adulterinum & à suppositore quodam sub e mentito nomine Reipublicæ litterariæ obtrusum satis audacter affirmat, ego verò id nego & pernego. Vtri habenda fides? Vocat ille Reineccium alibi amicum suum, quod si verum, sine dubio ejus scripta studiosè legit, cognitum perspectumque habuit stylum, quem novimus singularem, concisum, non tamen inconcinnum, neque obscurum, qualis in hac quoque commentatiunculâ, cujus diligens consideratio à tam præcipiti judicio cum avocare potuisset.

Verùm maluit suo obsequi genio, quàm veritati irradianti manus dare. Videbat in insolenti argumento, quod sine exemplo animo gladiatorio tractandum tuendumque suscepit, plurimùm sibi obfuturam auctoritatem veteris amici, venatoris speculatorisque omnis antiquitatis indefessi: maluit igitur cum larvis luctari, quàm Reineccium hîc loquen-

PROŒMIUM.

quentem fateri: maluit in dubium vocare, imò falsitatis arguere supposititiumque dicere, quod genuinum esse, vel à stylo, vel rerum argutà copiâ ac densitate edoceri potuisset.

Verum missum faciamus hominem, deque Commentatione Reinecciana agamus. Ea apud me est ipsiusmet auctoris manu exarata. Cujus rei testes do omni exceptione majores, FRIDERICVM-VLRICVM, principem meum clementissimum, Excelsitatis ejus Pro-Ducem, Cancellarium, Vice-Cancellarium, Consiliarios, Prælatos, Theologos, Equites, civitatum Legatos, Secretarios, &c. qui proximæ Visitationi Academiæ, mense Majo præcipitante, interfuerunt. His enim, non sponte meâ, sed jussus, in Senaculo academiæ, Reineccij *αὐτόγραφον* videndum cognoscendumque exhibui, cum adessent venerandâ canicie insignes, qui auctorem condiscipulum, qui collegam: adessent qui præceptorem recordarentur, faterentur, nemine quoquam de manu ejus in medium productâ dubitante. Testes præterea advoco patres academicos, collegas meos, quibus frequenti Senatu, præsentibus minimùm duobus Notarijs, idem exemplar conspiciendum dedi, ad oculum demonstrans, quo ordine auctor hanc telam texuisset, retexuisset: quæ primæ, quæ secundæ curæ. Rem planam factam probatamque dixere omnes, mirati fuisse, qui contradixisset. Eat nunc Tautius suosque flores inodoros iterum inculcet, puta, *fraudem admissam, causam*

PROÆMIUM.

causam deploratissimam, personatum auctorem, imaginationes, ineptias, &c. Si affatim nuper risit, ploret nunc affatim, convictus, si non malitiæ, saltem ignorantia. Cum Republicâ Brunsvicensi, cujus causam ille agit, nihil nobis negocij, nemo ququam nostrum ei invidet, tantum optamus, ut fortunam sive fatum suum reverenter habeat, sui que status fontem agnoscat. Satis etiam superque nobis constat, esse in eâ urbe non paucos bonos & integros viros, quibus tam Bodini de usurpatâ tyrannide frivolum commentum, quàm hic Discursus sine discrimine in quosvis summos & infimos, pugnis quasi & calcibus incurfans, minimè placeat, quiq; optent in spongiam incubuisse. Atque hæc pro amicissimi collegæ honore vindicando, proque labore ejus asserendo, paucis dixisse sufficiat: Tautium est quod rogemus, ut nempe Ludovici Bavari Cæsaris diploma de exemptione civitatis Brunsvicensis amplius nobis non invideat, mirum enim in Italiam ultra Alpes peruasisse, hoc in loco, ubi maximus ejus usus, tot seculis ignoratum. Sed & de geminâ appendice addendum, quòd cum agant de Guelfis familiæ Brunsvicensis conditoribus non inepte hîc subjungi posse visum fuit.



Neque



NEquè inelegans Iuuenalis Poëta, & verecunda,
prouida, cataque cautio est:

Semper ego auditor tantum? nunquamne reponam
Vexatus toties, &c.

Et rursus:

Si natura negat facit indignatio versum

Qualemcunque potest -----

Sic & nos, non quidem uel carmen pangere, vel iracundiâ
certare, sed ea in medium afferre conabimur, quæ erga pa-
triam pietas, erga magistratum obseruantia, erga decus pub-
licum amor, exposcerent. Ecquis enim tam per Germa-
niam hospes? tam eorum, quæ in conspectu omnium gerun-
tur, rudis? qui ignoret, ut & paulò superioribus, & pro-
ximis annis, alia ab aliis sint chartis illita, quibus illustrissi-
mis Brunsvigensis & Lunæburgensis familiæ Principibus,
clàm, palàm, variè & protervè derogatur. Quasi verò ij
sint, in quos cuius injuriarum telum quoduis vibrare defige-
reque fas sit, qui ἀπὸ δρυὸς παλαιφάτης, ἢ ἀπὸ πέτρης prosti-
lierint, quemadmodum Homericò adagio magni principis
legatis in disceptatione quadam responsum accepimus: qui
nulla majestatis jura habeant: quos dignitas vel sua, vel ma-
jorum, nulla subleuet. Cum de celsissimo illo fastigio istos
seu ἀεγμολόγας, seu νυκτεΐδας, quæ etsi neque in muribus
A planè,

planè, neque in volucris sint, secundum Varronem, *μυομαχίας* tamen turbas dent, ipsis nullo negotio protelare, certè jure optimo floccipendere liceat: & contrarium doceri atq; inferri posse, per Germaniam, per exteras regiones, tam apertum omnibus sit, quàm quod omnibus apertissimum. Ut singula enodaremus, argumentum non ferebat, nec forsàn aliud esset, quàm actum agere. Hanc tamen domus Brunsvigensis ἐξοχλὸν nemo inficiabitur, inter eas stirpes, quibus tanquam fulcris seu columinibus hodie Germania nititur atq; claret, simul antiquitate, simul nobilitate, nulli secundam esse. Quæ enim ordinem suum eodem in statu tutata diutius? Omitto priscam, sepeque interpolatam potentiam, omitto tot Heroum lumina, tot belli fulmina, tot virtutum auctoramenta, quibus Imperium decoravit: omitto procreatos eâ Imperatores, procreatos reges, egregios mehercle illos ac Martios omnes, sed feliciores futuros, si in tempora feliciora incidissent.

Verùm post ista ἀνευ παθῶν προίμια, ad eos perueniamus, contra quos commentatio nostra instituta. In his quidam bellum Hildesheimense, gestum ab ERICO majore & HENRICO minore describens, quamvis cætera accuratus, & à nigro sale omnino alienus, tamen ut circumstantijs plerisq; nec alij, nec forsàn sibi ipsi satisfacit? Sunt alij, qui ERICVM minorem oppugnandum susceperint, idque calumnie *μνηστῆρι* triplici. Primus nuptias eius secundas maledico carmine lacerare ausus est. Alter Monasterio, primariæ
West-

*Westualie urbi, Hispanis subiugandæ, non semel struētas insidias, ei exprobrat. Tertium non puduit vulturium induere, seu vitâ defuncto versibus epitaphiis insultare. Iam quid Papalis fecis, siue hybrida, siue æruscator, Volusianis annalibus suis (id enim Catulli imitatione ritè illis vocabulum indiderimus) in HENRICVM - IVLIVM, qui modò per Saxoniam augusto augurio, vt Ennii adhibeamus locutionem, rerum potitur, sibi sumsit? Quàm oscitanter, frigidè, falsò, alius de *W*olfebutelo, de Hannouerâ, subiectis Henrico Iulio propugnaculis & vrbibus, explicauit? Idem ad vetera scilicet exspaciatus, Monachium Bauariæ imperante Othone, constructum ab Henrico Brunsvigio censet, & tempus apponit annum Christi DCCCLXII. Quod tempus, quem fugit Othones præcessisse. Nec Henricus, quem Brunsvigium vocat, Othones, sed Sæuicæ prosapie Imperatores, potissimum Fridericum I. *σοφρονης* habuit. Intelligendus enim HENRICVS LEO, Dux Bauariæ & Saxonie. Estque notissima tota illa historia cum ex aliis, tum ex Auentini Bojaricis annalibus. Vt in tam supina & turpi *ἀνισόπνοια* Senecæ Clodium Thuscum recognoscas. Aggregandus insuper ad hanc classẽ Ioannes Bodinus Andegauensis, propemodum ex professo Germanici nominis hostis. Quàm enim remis velisq; connititur, vt gentem nostram tot ornamentis suis, atq; adeo Imperio ipso spoliet? Et si quid aliquando dat, id est, laudat, prædicat, an non mox maiore iniuriâ tollit? Eo inquam Ciceronis ad-*

uersus Octavianum exemplo, de quo Paterculus volumine posteriori, D. Brutus in Epistol. ad Ciceronem lib. XI. Familiar. Quid? quòd non contentus καθολικῆ̄ insecratione, in diuersos principes stylum stringit? Nominasse in his sufficiat Duces Brunsvigenses. Quos sicut apertè tyrannidis accusat, ita hac ipsâ de causâ urbem Brunsvigam ab ijs alienatam, se in libertatem vindicasse asseuerat. Locus est lib. II. de Repub. cap. 6. Tantam tamq̄ atrocem criminationem quis toleret, nisi fungus sit, seu cor plumbeum, pectus ferreum præferat, quemadmodum de Domitio Ænobarbo Crassus Orator pronunciauit? Et tamen tolerari, vel potius contemni & rideri posset, nisi exploratum haberemus, quosdam Bodino contra annalium fidem nimis patulas mentes præbere, vt etiam in foro, & publicis grauissimarum causarum disceptationibus, inde præsidium & firmamentum aucupari non dubitent. Quæ peruersitas ne apud imperitos altius radices ageret, & tam noxia veluti seges in herbâ excindere-
tur, saltem Bodino respondendum erat, non ἐκ τῶν ἀλλῶν ἀνεγαμάτων, quod ipse in Methodo historicâ è Polybio tantopere improbens, admisisse in se videtur, sed ex limpidis & puris putis historiarum fontibus, sic vt totum argumentum primo ab ouo, secundum Poëtam, justis que suis principijs, repetatur. Ita enim omnia fient ἐναργέστερα, ita minùs ἐποχὴ locum habebit. Cùm operis Bodiniani inscriptio nobis aurem velleret, & quodammodo exemplo præiret, seu id in animum reuocaret, quod olim Pomponius Atticus dixisse perhibetur,

hibetur, se Ciceronis de Republicâ libris impulsum atq; accensum, vt veterum annalium memoriam comprehenderet. Nec ferendum videbatur, ut homines Germani ab eo κέρειον δόγμα, ἢ κείνονα διοπετή, mutuarentur, qui pectore in ipsos minimè Germano, id est, sincero & candido esset. Quod ad cæteros, qui in communem arenam descenderunt, attinet, non deesset itidem, quod opponeremus. Sed quia nondum repertus, qui attenderet, multoq; minùs in testimonium traheretur, atque hoc pacto omnia per se ruant,

Irritaque vt visum est ventus & aura ferunt;
 alia refutatione opus non erat. Vnum tamen commonitos, & si æquum est, rogatos volumus, quando tali mentione nominibus aut existimationi illorum candidè parcimus, ipsi vicissim in posterum candidè agant, & ob oculos sibi ponant historiae legem, NE QUID FALSI DICERE AVSINT, ob oculos ponant Aristophanicam subiectionem,

----- λοιδορεῖσθαι δ' ἔπειτα

ἄνδρας ποιητὰς ὡς περ ἀριστοπωλίδας.

Vt ne fortè dum Plutarchi Philemones esse & videre satagunt, contrà Magas experiantur. Nam quid nunc Calabri illius occinam?

Si mala condiderit in quem quis carmina ius est
 Iudiciumque -----

Quod cui non mentem direxerit? inquit ad Montium scribens Sidonius Apollinaris Epistolar. lib. I.

Progrediamur autem, ita, vt Saxonum aperiamus ἀρχαιολογίαν, hoc est, orsa, migrationes, populos, ordines, im-

A 3

peria,

peria, gesta, hisq̄ implicemus, ut Vrbs, ut Ducatus Brun-
 suigensis fundatus: quæ rursus sequentur nonnulla utrosque
 respicientia, sequetur cum Bodinianâ assertionem collatio.
 Nec operosas expositiones instituemus, sed summas dunta-
 xat delibabimus. Nam illud historici munus fuerit: hoc
 proposito nostro quadrat.

Haud sum nescius de PRIMORDIIS Saxonum alios
 aliter sentire: Illud risu, non confutatione, dignum, quòd
 nonnulli, ut Francis Troianam, ita Saxonibus Macedoni-
 cam prosapiam asseruere. Nisi quòd illa ipsa fabulositas
 conjecturam relinquit, ambas nationes ex Asiâ progressas.
 Ergo ut Francos hoc loco missos faciamus, de Saxonibus cer-
 tum mihi fixumque, nomina eadem esse, gentemque ean-
 dem denotare,

SACÆ.

SAXÆ.

SAXONES.

SASSONES.

Quis enim tam àvisópnt, quem lateat vocabulum idem dis-
 similibus non modò populorum, sed & auctorum prolationi-
 bus & scriptionibus variari? quem lateat sepe numero ac-
 cidisse, ut gens vna in regionibus & locis diuersis consede-
 rit? Verbi gratiâ:

Dacæ,

Dai,

Dau.

Daci.

*Daci.**Dauciones.**DANI.**Item Sueui.**Suebi.**Suobeni.**Sueones.**SVECI.**Suedi.**Sitones.**Suitones.*

re & veritate sub eandem deriuationem cadunt. At quæ non solum enunciationis, sed & sedium diuersitas? Nobis quidem adducere exempla ista placuit, quòd hodie *DANI* Saxonibus proximi, Danis *SVECI*. Ergo *SACAE* à Græcis sic nuncupati; vnde *Saca* peregrinus Poëta, de quo *Suidas*. Contra Romani initio *Saxas* dicere maluerunt. Arguit hoc *Decidiorum* & *Voconiorum* cognomentum, cum id ita inualuisset, vt de *Getis*, *Gallis*, *Boijs*, *Cimbris*, & ipsis nostratibus nationibus, familiarum aliarum cognomenta inualuere. Primus omnium *Ptolemæus* *SAXONES* indigitauit. Licet ille ipse auctor *SASSONES* in *Scythiâ* collocet, & aliam peculiaremq; regionem *Sacis* vendicet, inde videlicet, quòd vtrobiq; gentis reliquie mansissent, quemadmodum nostrâ tempestate *Hungaria* & *Bulgaria* in *Asiâ* superant. Enimvero *Saxones* patriâ prolatione hodie se

Sasso-

Sassones vocant, superiores verò Germani Saxones. Quod ad sedium diuersitatem attinet, nihil de Danis, nihil de Suecis (hæc enim nomina, vti usu hodierno notissima, retineamus) repeto. Considerentur amborum cognati Geta, Gotthi, Guta. Vbi enim hi non palarunt? quæ in Illyrico, Daciâ, Pannoniâ, Italiâ, Galliâ, Hispaniâ, regna condidere? Vt in Tauricâ, ut inter Danos & Suecos etiamnum nomina eorum reliqua?

Inferat nunc aliquis, vnde Saxonum APPELLATIO, vnde origo deducenda sit? Non nego, utrumq; caput controuersum esse. Primo loco posterius enucleemus. Siue Cimmeriorum, aut Cimbrorum, siue Ascaniorum, aut Teutonum, posteros, Saxones statuerimus, res eodem redibit. Nam ASCANES, à quo Ascanij, & Tuiscones, GOMERVM, à quo Cimmerij, & Cimbri, patrem habuit. Illud inficiari nemo ausit, cum nomen Teutonum in Germaniâ exoleuisset, vel saltem à scriptoribus vsurpari desisset, Imperatorum Saxoniorum dominatu reuocatum. Hinc enim, quòd OTHO Magnus omnium primus rex Teutoniorum vocatur: hinc quòd Saxones generatim exteros appellant *Undeutsche* / qui reliquis Germanis *Welsche*. Et fieri potuit, vt eodem tempore Francia Teutonica dici cœperit, quæ hodie Imperium. Nam antea Francia tam Galliam, quàm Germaniam complectabatur. Vt è contrario in annalibus exinde Teutonici inculcantur, & Galliarum Franci, Romani cognominantur: quippe cum quibus
non

SAXONVM ORIGINIBVS.

non modò Armorici pulsi à Britannis, quos Anglinostri pepulerunt, sed cum Romani per Galliam milites coaluissent, testibus Procopio & Iornande. Addo de Teutonicâ Franciâ, denominationem istam etiamnum HENRICI V. Imp. etate durasse, post pro eâ litteratorum vsurpatione Germaniæ vocabulum in Imperatorum titulis obrepisse. Euiucit alterum Henrici V. diploma, datum monasterio **Gottesaw** in Marchiâ Badensi ad annum Christi M.CX. alterum in hunc vsque diem permanens vsus. Etsi satis constet ante RVPERTVM Bauaricum, vel eo nomine contentos fuisse, vel Reges Romanorum se appellasse.

Quid nam Saxones vocabulo hoc imbuerit, definire difficile est. Rectissimè videmur sono inherere posse: nisi quòd & hîc conjecturis agendum. Et mirum, cum ipsi se vocent **Sassen** / prolationis huius significatum in gentis idiomate commodum nullum occurrere, sed superioribus Germanis denotare *αὐτόχθονας*, indigenas, habitatores. Similiter dictio **Sache** ysdem, non Saxonibus, in usu est, designatq; causam in foro disceptandam. Vnde rursus **Sachsen** / id est, Saxones. Cum **Sake** vox Saxonica, ad **Sacas** alludat. Apparet autem diuersitatem omnem in tempora diuersa conferendam. Sint ergo Saxones iudices, disceptatores, forsitan à iustitiæ laude, & iudiciorum æquitate. Enimvero notæ saxonum leges, notæ è Bonifacij, archiepiscopi Moguntini, ad Echelbaldum epistolâ, in matrimonijs tuendis & libidinibus puniendis seueritas. Taceo eodem pro-

B

pemodum

pemodum fato euenisse, vt Romanae leges à **LOTHARIO II.** Saxonici sanguinis Imp. in lucem reductae sint. Quanquam si cui suspicari libet, Saxones ita se olim appellasse **Sassen**/ quomodo etiamnum **Grossum** appellamus, vt sint dictiones, quarum illam modò efferimus **Saten**/ vnde **Holsati**, id est, nemorum incolae; hanc verò sono quidem eodem, sed cuius notio sit à magnitudine, quae Saxonibus **die Grote**/ nihil reclamo. Verùm ista haëtenus.

Proximum est, vt **QVO PACTO SAXONES IN GERMANIAM MIGRARINT**, quæramus. Et querere vtique nobis licet; certi nihil afferre possumus. si quid tamen coniecturis dandum, mari appulisse crediderim. Hinc enim de Saxonibus & Turingis apud **VVidekindum** monachum fabula: hinc piratica ipsorum apud Romanos scriptores. Vt ne commemorem, eadem ratione eos **Britanniam** anteriorem, quae hodie **Anglia**, occupasse, vti **Scoti** ulteriorem. Nec dissimilia his, quae de **Herulis** à **Procopio** memoriae prodita lib. II. de bello Gothico.

Posteaquam verò se in Germaniâ confirmarunt, in veteribus Germaniae gentibus cum ijs se coniunxerunt **ANGRIVARI** & **ANGLI**. Nam inde **Bonifacio** archiepiscopo ad **Zachariam** Papam **SAXONIA TRANS-MARINA**, quae eadem **Anglia**, nempe de **Anglo-Saxonibus**, à quibus **Angliam** occupatam ostendimus, inde **Angarij**, tertia Saxonum natio. Addit **Beda** **VITAS**, qui **Ptolemeo** **Gutæ** sunt, hodie **Iutæ**, vt **elementi** **Vniùs** μῆτις Ἰεσῶν **augure-**

auguremur, sicuti I. & G. in dictionum nostrarum principijs Dialectorum vsurpatione nunc confunduntur, nunc discernuntur. Forsitan enim Danorum armis praevalentibus iisdem sese sociarunt, eo pacto, quo Ducatus Slesuicensis Anglorum patria, item Holsati & Ditmarsii cum illis $\sigma\omega\mu\alpha\tau\omicron\pi\omicron\iota\epsilon\acute{\iota}\nu$ caepere. Nec ambigam plures alios populos in Saxonum nomen coaluisse. Arguit hoc de Quadis Zosimi locus libro III. alter Procopij lib. IV. de bello Gotthico è MS. de quo Britannia Camdeni, arguit ipsorum potentia, arguunt latissimi fines. Nec obscurum, quid de Francis, quid de Alemanis evenerit. Caterum distinxere se Saxonones in haec tria genera:

OSTVALOS.

VVESTVALOS.

ANGARIOS.

De novissimo vocabulo paullo supra diximus. Idem cum medio in hunc vsque diem durat, vsu tamen utriusq; non modicè discrepante. Primum quandoq; Latinâ dictione Orientales commutatur. Documenta assertionis istius subministrant Benedictini monachi Annales Francici, Leges Saxonum à Basilio Heroldo editæ, Wvidekindus monachus. Inprimis de patriâ Saxonîâ hac in parte optimè meritus est Saxo $\alpha\acute{\iota}\omega\nu\nu\mu\omicron$ libro I. de gestis Caroli M. Carmen tale est:

----- Generalis habet populos diuisio ternos,
Insignita quibus Saxonica floruit olim.

B 2

Nomina

Nomina nunc remanent virtus antiqua recessit.
 Denique V Vestfalos vocitant, in parte manentes
 Occiduâ, quorum non longè terminus amne
 ARheno distat. Regionem Solis ad ortum
 Inhabitans Osterlingi, quos nomine quidam
 Ostualos alio vocitant. Confinia quorum
 Infestant coniuncta suis gens perfida Slavi.
 Inter prædictos mediâ regione morantur
 Angarij, populus Saxonum tertius -----

*Vbi notandum, quòd Ostualos alio nomine Osterlingos
 vocat: quippè quam enunciationem etiamnum Belgæ reti-
 neant. Et annumerandi iisdem TRANSALBIANI, seu
 Saxones ultra Albim, alio nomine NORMANNI & NORT-
 LVIDI, ut annales Franc. ad ann. DCCXCIIIX. & seq.
 Quos vt Carolus M. migrare cum vxoribus & liberis in
 Franciam coëgerit iisdem annales ad annum DCCII. me-
 minere. si quis amplius atque exactius de Angariorum,
 V Vestualorum, Ostualorum limitibus quærendum putat, is
 veluti disceptatorem adeat Chytræum in proœmio saxonie.
 Nisi quòd hic COLONIAE excipiendæ. Eæ enim alios
 saxonie fines dedere, nempe istos, de quibus ex antiquissi-
 mo Codice Auentinus annal. Boior. lib. IV. Quibus et-
 iam singuli limitibus inclusi fuerint narrat Chytræus dicto
 loco. Item ordines saxonum quatuor reperiuntur:*

NOBILES.

LIBERI.

LI

LITI.

SERVI.

Qui ex amussim Anglicis respondent, vt veniat in mentem arbitrari, gentem è saxoniam asportasse. sunt autem hi:

ADELINGI.

LIBERI.

LIBERTI.

SERVI.

Laudatq; Adelingos in Longobardis, natione e saxonum terris progressa, & veteri amicitia coniuncta, Paulus Diaconus lib. i. cap. xvi. vnde patet, vt Nobiles patria voce nuncupati, patet qui per Litos intelligendi. sicut in legibus Boiaricis cap. vi. tit. i. ydem FRILASII dicuntur. Plura de hoc capite legas in legibus saxonum & Anglorum, Adamo Bremensi lib. i. cap. v. Videchindo Monacho lib. i. Nisi quod posterior scriptor denominationes omisit. Verba eius sunt: Saxonica gens vsque hodie triformi genere ac lege, prater conditionem seruilem dividitur. Repetendum insuper de Adelingis erat, alio nomine vocatos, die Edle Herrn/ quemadmodum eidem sunt die Seyherrn. Nam Herr/ maioribus nostris, etiamnum generatim significat, quos Græci *ἡγεῖς ἢ ἡγεῖς* dixere. Vnde mos manavit, ut cum hodie Nobilitas in tot ordines discernatur, tamen promiscue infimos, medios, summos, dictione eadem affemur. Profecto de Adelingis testimonium perhibent Comitum quo-

B 3

rundam

rundam tituli, atq; adeo ipsi Comitatus, quorum illi necdum appellari *Edle Herrn* desierunt: his nuncupatio *Herrschaft* inde mansit. Estque ab *Adelingis* sequestranda *QUESTRIS NOBILITAS*, quomodo nunc etiam lingua nostrâ separatur, *die Herrschaft vñnd Ritterschafft*: & rem ampliùs confirmarunt Imperij conventus. Quibus enim illa olim vocabulis venerit, docet *Crancius Metropol.* lib. 1. capit. II. lib. III. cap. XI. docet de Nobilitate libellus adiectus commentario de Origine *Mysorum*. Ac conveniunt *CAROLI Magni* & *CONRADI III.* Impp. diplomata apud *Brusch.* de *Monast. German.* pag. 41. & 226. conveniunt cum alijs annales, tum *Alberti Stadenfis* pag. 320. Vbi quidem *LIBERI* sine dubio, qui in *Conradi Imp.* diplomate *LIBERAE* conditionis, id est, *Marchiones, Comites, seu Adelingi.* Vt *Cheruscorum* nobilitatem eadem usurpatione memorat *Tacitus* lib. II. Et *Philippus Dux sueviae*, idemq; *Imp. litteris Innocentij Papæ* vir nobilis concipitur apud *Arnoldum Lubecensem*, lib. 7. cap. 3. Cum quibus præterea congruunt, *Palatini ad Rhenum, Marchionis Mysnensis, & Comitibus Boloniae* tituli in *Decretalibus*. Ne quoque fortè cuipiam de terminatione *ING* scrupulus injiciatur, sciendum hac prisca Germanicæ linguae dialectos communiter gavisas, ut *Beatus Rhenanus* rerum Germanicar. lib. 3. *Lazius* de migrat. gen. lib. 7. Vnde in Nobilitate summæ dignitatis vox *Könning / Rex, von Kōnn / à potentiâ, seu Dictatorio imperio.* Cujus vocis
veram

Veram & genuinam scriptionem ac prolationem è genuinâ Germanicæ lingue antiquitate dialectus Saxonica conseruauit, cum reliquæ scribant *König* / prorsus sine omni, vel etymi, vel significati concinnitate.

Transeamus porrò ad Saxonum politiam, seu *IMPERII FORMVLAM*. De quâ obscurius loquentes *Annales Francici* ad annum *DCCLXXVII*, Senatum duntaxat & populum agnoscunt. Disertior est *VVidekindus monachus*: A tribus, inquit, *PRINCIPIBUS* totius gentis Ducatus administratur, certis terminis exercitus congregandi potestate contentis, quos suis legibus ac uocabulis nouimus signatos, in *Ostualos*, scilicet, *Angarios* atque *VVestualos*. Si autem universale bellum ingrueret, sorte eligitur, cui omnes obedire oporteat ad administrandum imminens bellum. Quo peracto, æquo jure ac lege, propriâ contentus potestate, unusquisque uiebat. *Hucusque VVidekindus*. Quapropter in eius auctoritate acquiescamus. Nam ut *Crancius Saxon. lib. 2. cap. 22. Metropol. lib. 1. cap. 1. de principibus discrepet*, ut alij iuniores pleriq; ei adstipulentur, inculcare supersedeo. Interim controuersiam nobis mouent de bellorum imperatoribus *Annales de gestis Caroli Magni* ad annum *DCCLXXII*. Nam ut *Saxones sub uno rege sociatos fuisse negent*, ita tot habuisse duces tradunt, quot pagos haberent. Sed hoc ruit, vel è veterum Germanorum institutis, de quibus *Cæsar lib. 6. de bello Gallico*, *Tacitus in Germaniâ*. *Vendico igitur imperatoribus istis, uti potestatem, ita & nomen regium.*
Estq;

Estq; hinc, quòd Cosmodromion non modò *VVidekindum* Magnum (cognomen mutuati sumus à *VVidekindo* monacho, & *Alberto Stadenſi*) verum etiam *Edelhardum* reges nuncupat. Nec illis refrager, qui principes Saxonum ex *Adelingis*, seu Nobilitate lectos volunt, nam & hoc Germanicum, vt *Tacitus*. Et respondent Longobardorum *Adelingi*, respondent Gotthorum *Anſes*, de quâ voce in hunc usque diem dicimus, *die grossen Hanse*: item: *Hanse Stedte*. Nam singuli nationibus singulis reges dedere, donec apud Longobardos *GVNGINGI*, apud Gotthos *AMALI* & *BALTHI* præualuere. Atq; vt nullum dubium est, tam Gotthorum *Anſes*, quàm Longobardorum *Adelings* in complures familias dissectos, sic idem de Saxonum *Adelingis* credamus, vnde nomenclatio, quæ *Brotusium* & *Encelium* scriptores præfert. Omitto *Crancium* Saxon. lib. 2. cap. 25. fateri, secundum *VVidekindi Magni* domum & alios per Saxoniam principes floruisse, fateri *Carolus Magnus Ducis Orientalis* filiam in matrimonium duxisse. Etsi idem monet, Principum horum nomina *PER INOPIAM SCRIPTORVM* periisse. Quid? quod *Siffridus Mysiensis* lib. 1. Saxonie principes *XV.* nobis obtrudit. Cùm numero isto familias eorum innuere videatur. Quemadmodum *Herodotus VII.* Persarum principes indigetat, quos *Iosephus* totidem familias interpretatur. Nisi vel domesticæ turbæ, vel bella interdum istas *μσταβολὰς* peperere, sic vt aliquando plures, aliquando paucio-

paucio-

pauciores principes creati sint. Exemplum de Galatis capiamus. Certè Germanis aggregandos, de lingua eorum documentum probat apud Hieronymum. Eorundem XVII. Principes indicantur Memmonis eclogis. Equibus ut rursus XII. Tetrarchæ prodierint, è Strabone patet.

Potentissimi autem inter Adelingos evasere ANGARICI. Ea VVidekindi Magni domus est. Nam ceteri, quos cum Carolo Magno bellum non absumpsit, Comitum albo adscripti, eo ordine substitère. Vnde profectum morem, ut adhuc hodie Comites plerique *Edle Herrn* / Comitatus *Herrschaften* / nuncupentur, supra meminimus. Quoniam illi Germanis sunt *Graven* / hi *Grasschaften*. Nec est, quòd de Comitibus nos perturbet Crancy *ἑποχὴ* Saxon. lib. 2. cap. 31. Etenim dictionem *Grave* propriè Francorum fuisse testatur Carolomanni diploma apud Auentinum annalium Boiorum lib. 3. Adjicit Beatus Rhennus rerum Germanicar. lib. 3. Francos prouincias suas omnes Comitibus distinxisse. Taceo, monumento Hamelensi, de quo paullo pòst, & Bernbardum Comitem, & Christianam Comitissam celebrari.

GESTA Sacarum Persicæ & Græcæ, Saxonum Romanæ historiæ se implicant. Nos partem illam præterimus, & ad Francica tempora & bella procedimus. His enim Saxones maximè inclaruerunt. Extitit autem in bellis facile nobilissimum, quod pro Francis contra HERMEN-
ERIDVM, postremum Turingorum regem suscepere cir-

C

ca an-

ca annum Christi *DXXIV*. Plenior ejus descriptio extat apud *W*idekindum monachum lib. 1. Adamum *B*remensem lib. 1. cap. 4. ex *E*ginarto. *C*rancium *S*axon. lib. 1. cap. 26. & seqq. duobus. Per idem tempus Saxones usq; in *T*uringiam fines protulere. Quâ ex re *C*rancij detegitur error, qui Saxones primùm sub *C*arolo *M*agno in *O*stualorum regionem migrasse, indeque nomen hoc usurpasse autumat. Siquidem de *G*ryphone, *P*ipini regis fratre, proditum, eum fugâ ad *S*axonie *O*bacrum, id est, *O*cram fluvium delatum. Neque obscurum, quis tractus bello *T*uringico *S*axonibus obvenerit, is nimirum qui *V*nstroto fluvio clausus, & versus *H*ercyniam exporrectus, cum alias vrbes habet, tum *M*ulhusium & *N*orthusium.

Tametsi verò ob tam egregiè nauatam operam inter *F*rancos & *S*axones arctissimum fœdus sancitum, tamen id diuturnum non fuit. Prodidit enim *M*arcellinus Comes, *S*axones ad *V*viseram fluvium victos à *L*othario rege *F*rancorum. Meminit eiusdem belli *S*igebertus ad annum *DLVI*. Vnde si ad id regrediare tempus, quo capto *H*ermenfrido regnum *T*uringicum destructum, proveniunt anni *XXXII*. An tamen tantisper utrinque ab armis cessatum, tam *M*arcellinus, quam *S*igebertus propemodum controversum reddunt. Nam ambo rebellatum à *S*axonibus volunt, vt aliud præcessisse bellum innuere videantur. Vt vt sit, hoc quidem *L*otharij auspicijs gestum omnium primum disertam auctorum mentionem meruit. Cuius eas vi-

ces *M*ar-

ces Marcellinus addidit, vt signis denuo collatis, Lotharium
 fufum fugatumque, ipsam Franciam à Saxonibus vastatam
 dicat. Secuta gentis cum Longobardis tum Pannoniæ in-
 colis, & veteri amicitia deuinctis, renovata societas. Et
 persuaderi sibi Saxones passi, vt ultra *XXM.* Cum vxo-
 ribus & liberis Longobardis se aggregarint, & cum eis in
 Italiam migrarint. De hoc instituto Lotharius & Sige-
 bertus reges Francorum certiores facti, in Saxonum deso-
 latis terras inuolant, & cum ex alijs nationibus, tum è Sue-
 uis collectam multitudinem eò traducunt. Autores sunt
 Paulus Diaconus lib. 2. cap. 6. Sigebertus ad annum
DLXII. Vt tamen post annos 14. has sedes Saxones
 repetierint, idem Sigebertus exposuit ad annum *DXXCII.*
 & disertius Paulus Diaconus lib. 3. cap. 3. item *VVide-*
kindus monachus lib. 1. Crancius Saxon. lib. 1. cap. 30. Re-
 crudere exinde etiam cum Francis bella, inter quæ à Paulo
 Diacono lib. 4. cap. 10. indicatum apponimus è *Funcij* cal-
 culatione ad annum *DCIIX.* Memorabilius hoc, quod à
DAGOBERTO inchoatum, à patre ejus *LOTHA-*
RIO rege Francorum terminatum. Res ita gesta. Dago-
 bertus prælio cum Saxonibus commisso, non solum succubu-
 it, verum etiam grauitè vulneratus est. Itaq; cum patris
 opem implorasset, is cum firmioribus copijs celeriter aduo-
 lat. Certamine repetito, Bertholdus Saxonum ductor, in
 acie cadit, reliqui in fugam vertuntur. Nec Lotharius vi-
 ctoria contentus, vt filij periculum vlcisceretur, eam sævitiam

bacchatur, ut nullum omnino saxonem mensuram gladij sui
 excedentem, dimiserit viventem. Placuit Sigeberti ver-
 ba adferre ad annum DCXXX. Cui suffragatur Regi-
 no, sed ut de tempore discrepet. Nominat enim annum
 DLXXII. Cum Crancius saxon. lib. 1. cap. 31. nullâ
 Lotharij seuitiæ mentione factâ, eum Saxonibus tributum
 annum D. boum imperasse dicat. Et memorat Sigeber-
 tus ad annum DCXLII. idem tributum Saxonibus re-
 missum, quòd Dagoberto contra VVinidos auxiliatum
 venissent. Quanquam hîc non parum variare Crancius, &
 de omnibus disertius explicare. Summa ea, Slavos in
 Turingiam irrupisse, ad hunc hostem reprimendum, Saxo-
 nes vltro operam suam obtulisse, hac tamen lege, si tributum
 remitteretur, & Francorum socijs adscriberentur; his as-
 sentientibus, seu armis, seu pactiõibus cum hostibus transe-
 gisse. Nihilominus sic quoq; crebro ad arma reditum. Oc-
 casionem dabat Turingia, in quâ de finibus conuenire non
 possent, ut Crancius saxon. lib. 1. cap. 33. Momenta ab an-
 nalibus tradita prætereo, & ad PIPINI patris Caroli
 Magni tempora accedo. Is enim aliquot prælijs Saxonibus
 victis, pacem eos petere coëgit. Fuit hoc anno DCCLIIIX.
 Lataq; conditio, ut singulis annis honoris causâ ad genera-
 lem Francorum conuentum equos CCC. pro munere darent.
 Excerptimus ex annalibus Francicis ad annum indicatum.
 Haud tamen id jugum ferre diu Saxones potuerunt. Imo
 pullulavit hinc bellum saxonum, quod sub Carolo Magno
 omnium

omnium atrocissimum gestum, præsertim cum is RELIGIONIS CHRISTIANAE causam immisceret, eamq; per vim Saxonibus obtrudere conaretur. Hinc enim cæcitate & amentia Ethnicâ longè magis irritati, nihil non audendum pro aris & focus, pro auitis & priscis ritibus existimarunt. Ac memorabilis belli diurnitas, quippè cui primùm annus XXXIII. finem imposuerit. Cæterum ne quis causas ἢ προφάσις, ἢ ἀφορμὰς belli à nobis adductas in dubium vocet, secundum annales de Caroli Magni gestis Eginartum legi volumus. Illi ad annum DCCCLXXV. ita loquuntur:

Hinc statuit requies illis vt nulla daretur,
 Donec gentili ritu cultuque relicto,
 Christicolæ fierent, aut delerentur in ævum.

Eginarti verba sunt: Suberant, inquit, & causæ belli, quæ quotidie pacem perturbare poterant, termini videlicet nostri, & Saxonum penè vbiq; in plano contigui, præter pauca loca, in quibus silvæ majores, vel montium juga interjecta, utrorumque agros certo limine disternant: in quibus cædes, & rapinæ & incendia fieri vicissim non cessabant. Hæc ille. Iam quæ nobilitatis strages edita fuerit, idem Eginartus testificatur. Verba ejus iterum adscribo: Plures è bello, tam ex nobilitate Francorum, quàm Saxonum, & functi summis honoribus viri, consumti sunt. Nihilominus pax firma consecuta est, ipso Carolo Magno eam Saxonibus offerente. Visum & hac de re Eginartum audire. Eâ conditione à Rege (Carolum

Magnum dicit) propositâ, & à Saxonibus susceptâ, tractum per tot annos bellum constat esse finitum, ut abjecto Dæmonum cultu, & relictis patrijs ceremonijs, Christianæ religionis Sacramenta perciperent, & Francis adunati, VNVS CVM EIS POPVLVS efficerentur. Referendus igitur huc Caroli Magni titulus è diplomate conditi Episcopatus Osnabrugensis apud Crancium Metropol. lib. 1. cap. 2. Appellatur enim ibi **DOMINATOR SAXONVM**. Attexit diploma Episcopatus Bremensis, quod & ipsum Crancius ibidem cap. 7. habet, item Saxon. lib. 2. cap. 15. Adamus Bremensis lib. 1. cap. 10. Carolum antiquo Romanorum more Saxoniam in provinciam redigisse, & certis limitibus inter Episcopos distribuisse, sic tamen, ut pristinam genti libertatem reliquerit, vectigalia sibi debita remisit, pro iisque specioso & augusto religionis nomine inducto, decimas Episcopis penderi iusserit. Quot autem numero à Carolo Magno Episcopatus instituti sint, inter annalium auctores non convenit. Ditmarus lib. 7. Adamus Bremensis lib. 1. cap. 9. Helmoldus lib. 1. cap. 3. octo nominarunt. Crancius Saxon. lib. 2. cap. 23. septem indicavit, excluso videlicet Hamburgensi, qui à Ludouico I. fundatus est, cap. 25. Et licet Crancius Saxon. lib. 2. cap. 22. gubernandi potestatem Episcopis permissam asserat, subicit tamen, reliquos proceres administrationem suam non planè amisisse. Vnde factum, inquit, ut secularis potestas ab omnibus, bello finito, citra Visurgim illi deferretur.

In ean-

In eandem sententiam differit ibidem cap. 27. adeoque de Nobilitate disertius loquitur. Locum adjicio: Saxonia Pontificibus erat dispersita, SERVATO TAMEN NOBILIBVS IN EA SVO DISTRICTV. Quamquam sic quoque est, quod jure in scriptore isto desideres. Quoniam toto caelo errat, quod gubernandi potestatem Episcopis permissam ait. Nunquid enim Ecclesiasticum aliquod regnum à Carolo introductum, numquid alijs institutis, quàm Franci ipsi vterentur, Saxones cum eis in populum vnum coaluisse somniabimus? Quare hinc, quod nempe Bremense diploma, neque annales REGALIVM, quæ vocantur, meminere. Nam quod Crancius saxon. lib. 2. cap. 23. assuit, ut suum *Ἰστορικὴ* assuit. Ac tametsi non Carolus Magnus, sed LVDOVICVS PIVS, filius & successor, Episcopos inter regni principes cooptarit, vt Helmolus lib. 1. cap. 4. tamen politicam jurisdictionem eis nullam concessit. Primus omnium enim OTHO Magnus Imp. hac Brunonem fratrem, archiepiscopum Coloniensem, & si Bruschio credimus, Odogarium, Episcopum Spirensis, honoravit. Vnde Chronicon Erfurtense MS. Da begönten zu erst die Bischöffe / Weltliche Richte zu haben. Das dauchte damahls vnbillich manchem Manne. Id est, Tum primùm Episcopi politicam jurisdictionem adepti sunt: quod multis iniquum visum. Plura de Brunone & Odogario totoque hoc negotio, Chron. Colon. Aventinus annal. Bojorum lib. 5. Bruschius de Episcopat. Anno-

Annotatumq; à Bodino de *Repub. lib. 3. cap. 3.* adhuc hodie
Hispanie Episcopos nulla, vel priuata, vel publica iudicia,
 tractare, nisi quæ religionis causâ suscipiantur. Est igitur
 saxoniam à Carolo Magno inter Episcopos quidem distributa,
 sed Ecclesiasticis duntaxat legibus, & ut eorum tributorum
 loco, quæ antè Francorum regibus pendebantur, decimis
 fruerentur: reliqua, vel Reipublicæ, vel Nobilitatis iura,
 nihil prorsus labefactarentur. Imo dubium nullum est, vt
 Nobilitatis ferocitas demulceretur, & omnis rebellandi oc-
 casio tolleretur, potissimum ejus rationem habitam, nec ho-
 noribus modò, sed & opibus amplificatam. Argumentum,
 non coniecturam, suppeditat Suffridus Petrus de Frisiorum
Antiquitat. lib. 1. cap. 13. Vbi Saxonice Episcopis defen-
 sionis gratiâ Principes adiungit. Cum res tota antiqui mo-
 ris imitationem representet. Ecquis enim Ecclesie Roma-
 næ DEFENSORES nescit? Saltem Cassiodorus euol-
 vatur *Variar. lib. 3. Epist. 45. lib. 9. cap. 15.* Tametsi
 juniores ADVOCATOS vocare maluerint, nostri Thum-
 Bøygte/ vt diplomata apud Lazium. Quorum quod mu-
 nus, quæ dignitas extiterit, vt PASCALIS II. Pa-
 pæ artibus cessarint, docent idem Lazius lib. 7. de migrat.
 gentium, Auentinus præfatione in lib. 6. annal. Bojorum.
 Quanquam meritò mirere, quòd cum Paschalis à cæteris
 Episcopis Advocatos amoverit, ipse & successores tolerarint.
 Nam inde Innocentij III. epistola Decretal. lib. 1. tit. 16.
 ubi Imperator ECCLESIAE ROMANAE ADVOCATVS
 & De-

& Defensor appellatur: Inde Clementina tit. 9. Vbi
 vtrumque nomen reperitur: inde Friderici II. Epistola
 apud Petrum de Vineis lib. 1. cap. 6. inde denique Electorum
 Imperij decretum apud Sleidanum lib. 1. Atqui latuit an-
 guis in herbâ, secundum Poëtam. Velanda enim manife-
 sta ab Imperatoribus defectio alio nomine fuit. ΑΕΧΝΥΘ e-
 jus audaciæ rectè credetur GREGORIUS VII. Is
 enim cum nouo exemplo HENRICO IV. non modò sa-
 cris, sed & magistratu interdixisset, & ordines omnes sa-
 cramenti, quo ei de vinciti essent, religione soluisset, eâdem
 occasione simul seipsum, simul successores, obsequio illius
 exemit. Ac licet fundamenta nonnulla proximiores Gre-
 gory decessores jecerint, dum scilicet diplomatis, non Impe-
 ratorum, sed suos annos adscribunt (documentum de Cle-
 mente II. habet Bruschius de monast. Germ. pag. XXCIIX.
 Et pertinet huc de Alexandro locus Adami Bremensis lib. 4.
 cap. 25.) Stabilysse tamen totum institutum Gregorius vi-
 detur. Certè de Urbano II. res indubitata est, suffra-
 grante diplomate ejus itidẽ apud Bruschium p. 20. & seq. Et
 hinc de Paschali II. Auentini expositiones Annal. Bojorum
 lib. 6. Cùm superiores Pontifices è superiorum temporum
 consuetudine Imperatores etiam ADORARE solerent,
 Nihil nos fingere, vel Caroli Magni historia testimonio
 est. Vtque Ostgothorum in Italiâ reges exemplo Imperato-
 rum adorari voluerint, liquet de Varijs Cassiodori lib. 6. E-
 pist 3. sed regrediamur ad Advocatos. Qui etsi principiò ab
 D Impe-

Imperatoribus constituebantur, tamen posteaquam Othonis Magni beneficio politica jurisdictio Episcopis cessit, & Advocatias ab eis dependisse apparet. Ut enim sub Henrico IV. Luderus Comes, qui post *LOTHARIUS* Imp. Bremensem advocatiam Liemaro extorserit, ut Augustanam à Sigefrido Episcopo *WELFVS* Dux Bauariae, familiae *Welforum* instaurator, recuperarit, è Crancio Saxon. lib. 5. cap. 12. è Bruschio de Episcopatibus evidens est. Nec ignoratur in Episcopatibus *BURGGRAFIORM* magistratus: de quo, qui volet, cum alios consulat, tum Caspari Peuceri Chronicon lib. 5.

Diximus ut Saxonia à Francis subiugata, diximus ut Episcopatus ibi fundati. Nunc necessario nobis ad *Widkindum* Magnum redeundum: quia eo duce contra Carolum Magnum bellum gestum, ab eodem Ducatus Saxoniae inchoatus. Legimus autem in Cosmodromio, *Widkindum* per hoc tempus ab annalibus nunc Regem, nunc Ducem appellari. Quod ad primam dignitatem attinet, admodum raris ea testimonijs nititur. Nam Francici annales, Aimoinus, Regino, ut in alia omnia iuere? Alterum Ducis nomen inculcant *Widkindus* monachus lib. 1. Sigebertus ad annum *DCLXXVII*. Helmoldus & Albertus Stadenfis. Tamen nos *Widkindum* *REGEM*, usurpamus. Ut enim missa faciamus, quae supra de Saxonum politia disputauimus, in medio sunt veteres cantilenæ, & quasi per manus tradita à majoribus fama, in medio est monumenti

rumenti *V*Videkindi inscriptio. *V*isitur id Angaria, quae olim *V*Videkindi regia, nunc vicum representat. De eadem ipsa Saxonia Angariae regnum indigitata. Patet hoc de alia cippi inscriptione, quae eiusmodi Hamela ad *V*isurgim extat.

ANNO DOMINI DCCCXII. BERNHARDVS COMES. CHRISTINA COMITISSA REGNI ANGARIAE DE OSTEN. FVNDARVNT HANC ECCLESIAM.

*P*ace cum Carolo Magno facta, ita quodammodo *V*Videkindus regio nomine se abdicasse videtur, vt Adalogenio, primus Bojorum rex, post pugnam Tolbiacensem eo se abdicavit. Nec refrager, si quis contra Ducis honores *V*Videkindo concessos contendat, vt itidem Adalogenioni concessi fuere. Consulendus de hac Adalogenionis historia Auentinus annalium Bojorum lib. 3. Ceteroquin Francos in Germanici nominis provincijs subactis imperio contentos, nullam aliam re indigenis graues fuisse, sed omnia eis integra praestitisse, praeter Adalogenionis adductum a nobis exemplum, de Longobardis memoria prodita arguunt. Etsi enim capto *DESIDERIO* rege, Carolus Magnus regnum aboleuit, tamen & Forojuliensibus & Spoletanis & Beneuentanis Duces reliquit. Satisque constat, ex ea Longobardorum nobilitate secundum *V*VELFOS, a quibus Duces Brunsvigenses & Lunaburgenses genus ducunt, et-

D 2

jam

iam Marchiones Badenses in Germaniam remigrasse. Quin-
imò Lazijs Ducum Spoletanorum progeniem haberi vult
Duces schiltachios sueviae, item Barones Rapolstenios, &
Winspergenses. Reticeo Imperatores & Reges, qui è
Longobardis prodire: reticeo reliquos proceres, quorum
posteritas multis seculis se conseruauit, nec dum penitus ex-
tineta est: solos ALEMANNOS à Francis durius tra-
ctatos, reperimus. In causâ fuit præter summum discrimen,
quod in eo hoste debellando Franci subierant, rebellio-
nis metus. Videndus Beatus Rhenanus rerum German.
lib. 2. sed hanc digressionem abrumpo, & quæ de Wvide-
kindo restant, pertexo. Quem etsi Crancius Ducem saxo-
niæ vocare non audet, tamen opes & imperium Ducis ei at-
tribuit. Adi saxoniam illius lib. 2. cap. 24. Vbi & hoc
legere est, Wvidekindum GEROLDO Duci Sueuorum
(quinam hi sueui accipiendi ceu digito monstrat Paulus
Diaconus lib. 2. cap 6. sigebertus ad annum DLXIIIX.)
bellum fecisse, in eoque oppetisse. Quod ipsum, nisi emi-
nenti, & potestate, & potentiâ præditus fuisset, vt sumere
sibi potuisset? Ad summam, ne cui, vel de Wvidekindo, vel
de posteris, dubitationi locus sit, Ducis Saxonie titulo ga-
uisos, hoc scitu dignissimâ, nec facile alibi obuiâ, genealogiâ,
quasi vas fit, Albertus Stadenfis.

WVIDEKINDVS, inclitus Dux Saxo-
num, per Carolum baptizatus.

WVigber-

Wigbertus Dux Saxonum Christi-
stianus.

Walbertus, Dux Saxo-
num Christianissimus.

LUDOLFVS Dux Saxo-
num nobilissimus.

Bruno, Dux à Otto, Dux Saxonum
Danis occisus. invictissimus.

HENRICVS Rex.

Accedat instar & æquas de Wvidekindo Chronici Saxo-
nici suffragium, accedant reliquarum Francicarum provin-
ciarum exempla, quæ omnes duces habuere, sed Regibus
Francicis subiectos. Ut idem definire de Saxoniâ necesse
sit. Cujus si Wvidekindum & posteros intelligere Duces no-
luerimus, quos tandem intelligemus? præsertim cum alijs nul-
li memorentur. Interim tam hic ipse Wvidekindus, quam
posteri vsq; ad Ludolfum (Sigebertus ad annum DCCCLX.
Leusolfum, Ducem Saxoniæ appellat) augustale, seu aulæ
sedem, non mutarunt, sed in WVestualiâ substituerunt. Un-
de est, quòd Crancius ditionem eorum WVestualiâ determi-
nat. Estque extra omnem controversiam, Comites Rin-
gelheimenses (sequimur hic Chron. Saxon. Crancium sa-

D 3

xon.

xon. lib. 3. cap. 11. Quia *VVidekindus* monachus, & *Albertus* *Stadensis* tantum profapiam eorum à *VVidekindo* *Magno*, sine Comitum titulo, indicant) item *Comites VVet- tinenses*, à quibus hodierni *Electores* & *Duces Saxonie* propagantur, ad *VVidekindi* domum pertinere. Nec ambigam, hosce *Ostualorum Saxonie* tractus inde eis cef- sisse, quòd *idem VVidekindi* *reges* fuissent. Sed & hoc accidere potuit, quandoquidem *Comitum* illorum agnati in *VVestualia* *Duces* usurpabantur, ut ipsi eà de causà no- mine & dignitate ista abstinerint, *Comitumq;* ordine con- tenti fuerint, quomodo itidem *Comites Oldenburgenses*, à quibus *Reges Danie*, & *Duces Holsatie* genus repetunt, eo contenti fuere, cum & ipsi *VVidekindi* soboles sint. Ne- que enim olim *Principes* & *Comites* *ysdem* familijs editi, ti- tulus *ysdem* utebantur, sed de sedibus & muneribus eos va- riabant. Documenta insignia de *Ducibus Alemanie*, *Lantgrafis Turingie*, *Marchionibus Vogburgensibus*, *co- mitibus Landaviensibus* subministrant, *Onomasticon Pyr- nense* ad annum Christi *MCCXXVIII*. *Lazius* lib. 7. & seqq. de migrat. gent. *Bruschius* de monast. Imo *Onoma- sticon Pyrnense* de *Othonis M. Imperio* explicans, Tempore illo, inquit, tantum *FILIVS NATV MAXIMVS DVCIS NOMEN RETINVIT, RELIQVI COMITES APPELLATI SVNT*. Necdum con- suetudo ea in *VVirtembergensi* familiã expiravit, & omni- um maximè per *Italiam*, *Galliam*, *Hispaniam* viget.

At vbi

At ubi Ludolfus, vvalperti F. vvidekindi pronepos, augustale suum in Ostualiam transtulit, nata inde opinio, de quâ chronicon. saxon. & Onomasticon Pyrnense, nempe primum illum Ducem saxonie extitisse. Fitque verisimile, ab eo tempore Saxoniam indigitatam, quæ Ostualia fuerat, eâ inquam consideratione, quâ antea westualia saxonie nomine venit. Sic enim Engelbusius pag. 45. VWestualia est antiqua saxoniam: Sic Crancius Metropol. lib. 1. cap. 3. & rursus lib. 4. cap. 14. VVESTVALIA VERA ET VETVS SAXONIA EST: Sic Hermanus Comes Nuenarius de originibus & sedibus Francorum: VWestualia nunc dicitur, quæ Saxoniam olim fuit. Eandem ob causam Francici annales vvidekindum Magnum, vnum è vvestualorum proceribus vocant. E quibus efficitur nominis saxonie vsus ab aulæ sede dependisse, efficitur toties mutatum, quoties illa mutaretur. Quemadmodum simili respectu sleidanus lib. 28. saxoniam dicit, saxonie domus subjectas provincias. Et hodie Germania de Imperij sede vulgò Imperium cognominatur, vt olim de Francorum regno Francia Teutonica. Hoc quidem litis expers, Ludolfi successores in Ostualia, seu Saxoniam, augustale retinuisse. Estque inde, quod vvidekindus monachus Brunonem, Ludolfi filium, TOTIVS SAXONIAE DVCEM nuncupat. Ab eodem additum, cum Bruno in bello Danico interisset, Ducatum fratri eius Othoni, & rursus HENRICO AVCVPI, Othonis F. cessisse, sed non sine cautela.

Primus

Primus enim, inquit, **LIBERA POTESTATE REGNAUIT IN SAXONIA**. Quam cautelam ut intelligi velit, ostendunt quæ Legendæ Viti martyris, partim verè, partim superstitiosè subnectit. Quanquam meritò admirere, quid de saxoniâ tributaria velit. Si quidem contrarium cautum fuerat cum Carolo Magno compositione. Sicuti quod servam dixit, eousque consistit, ut cum Crancio saxon. lib. 3. cap. 1. Henrici Aucupis maiores sub Regum Francicorum imperio delituisse, ipsum verò id jugum excussisse, sentiamus. Sanè Beatus Rhenanus rerum Germanicar. lib. 2. de Henrico Aucupe professus, hoc amplius commonuit, sub Imperatoribus saxonis, non modò cæterarum prouinciarum præsides, sed & ciuitates ipsas libertatem nactas. Pertinet huc locus Adami Bremensis lib. 2. cap. 1. Adaldagus primò ut ingressus est Episcopatum, Bremam longo prius tempore potestatibus ac iudiciariâ manu oppressam, præcepto Regis (**OTHONIS M.**) absolvi, & instar reliquarum vrbiū immunitate, simulque libertate fecit donari. Repetit hæc totidem verbis Albertus Stadenfis pag. 104. Post Henrici Aucupis mortem Ducatus Saxonie vnâ cum Imperio ad Othonem Magnum (Engelhusio, vel potius *αὐθεντῆ* *Uidekindo* Monacho, est **AMOR MVNDI**) deuoluitur. Nisi quòd is alium saxonie Ducatum ad Albim condidit, & **HERMANNO** Billingo attribuit. Plura de eâ historiâ Crancius saxon. lib. 4. cap. 8. & 16. Respondendum autem
hîc obi-

hic obiter Adamo Bremensi lib. 2. cap. 4. Helmoldo lib. 1. cap. 10. Alberto Stadenſi pag. 107. Hi enim Saxoniam poſt Caroli Magni tempora Duce caruiſſe, unisq̄ue Caſari- bus paruiſſe, affirmant. Quâ in parte quis non videt craſ- ſum auctorum illorum σφάλμα? Forſan tamen medelam nonnullam adhibuerimus è Cranciſ Saxoniâ lib. 2. cap. 32. lib. 3. cap. 1. Nec ipſe Helmoldus inficiatur, Othonem Ma- gnum hereditarium & legitimum Saxoniae dominum, pri- mum tutelae vicem Hermanno demandaſſe. Interim po- ſteri huius titulum Ducatus Saxoniae ſoli uſurparunt, ſic ta- men, vt & Otho Magnus & poſteri, & Marchiones Sa- xoniae, BRUNSVIGENSEM, Göttingenſem, alias terras retinuerint. Quid? quòd vrbs Brunſuiga, quòd arx à fratribus Brunone & Tanquardo, Ludolſi FF. conſtructa. πάντα τῶν παντῶν reddidit Cranciſ Saxon. lib. 2. cap. 31. Denique extinctâ Othonum ſtirpe, & regionum, quas per Saxoniam tenuerant, poſſeſſione ad Marchiones Saxoniae (loquimur hic cum Chronico Saxonico, complures enim Saxoniam habuiſſe Marchiones, exempla de Henrico, & Lothario, & VVirinbario, arguunt apud Ditmarum lib. 4. pag. 40. & ſeq. lib. 6. pag. 71. lib. 7. pag. 89.) transla- tâ, hi domicilium Brunſuigam delegere. Quâ quidem ex re vrbs mirificè creuit. Sicut reliqua Saxoniam ita ex- culta fuit, vt paradifo comparetur. Inſpiciatur Ditma- rus lib. 4. Cranciſ Saxon. lib. 4. cap. 36. Venit etiam in mentem Marchionum ſtemma intertexere. Id tale eſt.

E

HEN-

COMMENTATIO DE
HENRICVS AVCEPS.

OTHO Magnus. Henricus Dux Bauaria.

Ludolfus Dux
Sueuia.

Henricus Bruno.
Dux Bauaria.

Otho tenuit urbem Brunsvigam, indeq; Marchionem Saxonie se appellavit, ut Chronicon Saxon. Nihil enim de hac re Ditmarus οὐ γαρ, nihil Fabricius in Origin. Saxonis.

Bruno cognomento Eccardus Marchio Saxonia. Extin- Bruno duxit ordines sub
GREGORIUS V. Pontifex Roman. Etâ Othonum domo Othone M. Imp. ob vir-
Ditmarus lib. 4. usurpatum ab ijs gam donatus. Vitam in
gentilitium insigne multam senectam produ-
equum album sibi xit. Itaq; caso Eccardo,
vendicavit, ut Ono- & possessionibus & insi-
masticon Prynense. gnis eius potitur. Hac
Chron. Saxon.

Bruno

GISLA post
nupta Conra-
do II. Imp.

Ludolfus vir magnanimitate & opibus
præcellens, Brunsvige muros partim renouat,
partim de integro exstruit. Fabricius in Ori-
ginib.

Bruno

Bruno. OTHO.

Ecbertus condidit arcem
VVolfeburelum: vitâ de-
functus anno MXLVI.

Henricus habita- Cuno Comes Northe-
uit Alersteri. Do- my & Bichlingi, con-
natus Frisie præ- ditor familia Comi-
fecturâ, ibi pe- tum Bichling. Do-
rijt. micilium habuit Kô-

nigshofii. Interfectus est à fa-
miliaribus Edelgero Ifeldio, &
Christiano Rotenburgio, hostili
auro corruptis.

Ecbertus, Gertrudis,
hostis Hen- post fratris
rici 4. Imp. cadempelli-
interfici- tur eius di-
tur ab eius tione ab Hen-
equitibus rico IV. idq;
Isenbuteli partim san-
in molēdi- guinis, par-
no. In Chro- tim feudi
nico Pega- pratextu sic
viensi no- arci Brūsvi-
minatur gensi præsi-
Marchio de dio imposi-
Brunsuig. to, dum mi-

lites non temperant ab iniurijs, tumultus oritur,
arx incenditur, milites ad unum omnes flammâ
& fumo suffocantur. Gertrudis revocata in
integrum restituitur, & cum tam insigni DO-
TE patrueli HENRICO nubit.

RIKENZA, sic Helmoldus: Nam Lotharij diplomate
apud Henningesium pag. 244. scribitur Righzen, ma-
ritata LVDERO Comiti Supplinbr. g'o & Arnsber-
gensi, DOTIS loco ad eum, cum alias terras, quas

E 2

ambo

ambo possederant, tum Brunsvigam attulit. Per idem tempus MAGNO Duce Saxonia, è Billinganâ familiâ postremo extincto, Luderus ab Henrico V. illi surrogatur. Qui tot accessionibus auctus, eâ inde auctoritate, inclaruit, ut Henrico V. successor datus sit, ab annalibus inter Imperatores **LOTHARIUS** appellatus.

Excerpsimus hæc, secundum Chron. Saxonicum, & cæteros, quos antè nominauimus auctores, de Crancij Saxoniam lib. 4. cap. 27. 36. 44. lib. 5. cap. 12. & 25. Quo quidem ultimo loco Brunsviga *Βαρεθίνου* Rykenzæ DOS nominatur, ut iterum Gertrudis Lotharij F. lib. 6. cap. 4. & **PECULIUM** Henrici Leonis à matre proueniens, lib. 7. cap. 1. Cæterum vsu venit, ut nec Lotharius mares liberos superstites habuerit. Itaque haud longè ante vitæ finem Ducatu Saxoniae se abdicans, eum **HENRICO**, Duci Bavarie genero, tradidit, ut Helmoldus libro 1. cap. 55. Eundem domus Brunsvigensis & Lunæburgensis *κτισίν* colit. Genitus enim eo **HENRICVS LEO**, Dux Saxoniae & Bavarie. Qui etsi post à Friderico I. Imp. proscriptus, Bavariam amisit, tamen Saxoniae partem maximam conseruauit, nec titulum Ducis unquam deposuit. Idem legimus de Othone IV. & V. Wilhelmo FF. donec Otho V. Wilhelmi F. ab Alberto, Duce Saxoniae familiae Anhaltinae captus, *λότρε* loco titulum istum ei concessit. A quo tempore cum **FRIDERICVS II.** Imp. Moguntiae ordinum Imperij conuentum ageret, Otho eò
profe-

profectus, se suaque omnia illi permisit. Nec caruit haec res illustri favore & gratiâ. Quia Imperator, & ipsius, & maiorum dignitatem redintegrans, DVCEM BRVNSVIGENSEM ET LVNAEBVRGENSEM salutavit, ac solemni ceremoniâ inauguravit. Suntq; haec novi Ducatus illius primordia.

Iam praeter Henricum Leonem, & filios, & Othonem nepotem, Brunsvigæ habitasse, ipsamque urbem subiectam habuisse, liquet de expositionibus Helmoldi lib. 1. cap. 73. Arnoldi Lubecensis lib. 2. cap. 2. 17. 33. lib. 3. cap. 12. lib. 4. cap. 3. 20. lib. 6. cap. 4. 6. Alberti Stadenensis pag. 203. 207. 222. Crancy Saxon. lib. 7. cap. 1. 31. 34. Idem in literas relatum de VWilhelmo, Othonis ex Alberto Magno nepote. Imo FRIDERICVS, post Rex Romanorum, & Henricus, fratres, Alberti Magni abnepotes, robur exercitus sui ex vrbe Brunsvigâ habentes, vice-re VVenceslaum Ducem Saxoniae.

Succedit VWilhelmi victoriosi principatus. A quo Brunsvigenses alienati in fratris Henrici partibus manserunt, eumque dominum adsciverunt. Post mortem Henrici VWilhelmus amissa recuperat, & heredes filios, Fridericum & VWilhelmum relinquit, in quibus VWilhelmo castrum Hameloburgam oppugnanti, in ceteris subiectis ciuitatibus etiam Brunsvigenses praesto fuere, & mox in verba eius iurarunt.

Rursus VWilhelmo editus HENRICVS Maior.

E 3

Sub

Sub eo Brunsvigenses obstinationis & rebellionis aleam jecerunt, in ordinem tamen vsque huc reuocati sunt. Vnum id non poteramus non commonere, quæ strictim attigimus, plenius describi à Crancio Saxon. lib. 8. cap. 36. lib. 10. cap. 5. 12. lib. 11. cap. 18. 26. lib. 12. cap. 11. & 31. lib. 13. cap. 18. 19.

Atque hæcenus quidem pertractata à nobis, quæ ad institutum nostrum pertinent, cum quibus si Bodini assertio conferatur, ut ipse ἀπογνώσκων deprehenditur? ut quæ non scripsit, sed vomuit (libet enim Ælij Aristidis in Adrianum voce uti) omnibus ex partibus nutant? Error primus est, quòd nefariè Duces Brunsvigenses tyrannidis insinulat. Quæ enim in adductis expositionibus vel minima Tyrannidis vestigia? Scimus sanè, ut Græci & Romani scriptores, scimus ut Bartolus IC. vocabulum illud vsurpent, scimus quæ leges aduersus Tyrannos latæ, quæ supplicia eis irrogata sint. At horumne quicquam in Brunsvigenses Duces cadit? Imo ut caderet, quis disceptatoris partes Bodino delegauit? cur alieno foro, alieno negotio se immiscet? cur legitimam cognitionem temeritate suâ præuertit? Inculcat deinde libertatem. Verum enim uero ecquid per Imperium nostrum urbium LIBERTAS, nisi vetus à muneribus quibusdam vacatio, vectigaliumque ac tributorum immunitas, AB IMPERATORIBVS CONCESSA, SINE VLLA MAIESTATIS DIMINVTIONE? teste ipso Bodino de Republ. lib. 1. cap. 9.

cap. 9. Cuius definitionis pars posterior cum duo comple-
ctatur, prius, quod pace Brunsvigensium dixerim, ad ipsos
vel parum, vel nihil. Si quid enim vel libertatis habent,
an non potius à Ducibus suis, & ijs, quos simul Duces agno-
uere, quàm ab aliarum familiarum Imperatoribus habent?
Sed hinc lampadem alijs tradimus. Hoc extra dubitationis
aleam positum, Brunsvigenses semper vel Saxonici sangui-
nis Principibus, vel Brunsvigensibus Ducibus paruisse, ab
ijsq̄ alienari nunquam voluisse, sed contra ipsos Imperatores
(suprà in his nominavimus HENRICVM IV. modò
amplius nominandi erant, CONRADVS III. HEN-
RICVS II. PHILIPPVS, FRIDERICVS II. seu
filius huius Henricus rex) pro partibus illorum summâ fide
propugnasse. Vnde vicissim Duces Brunsvigenses tan-
tùm Vrbi detulere, vt palatio dignati sint: tantum civi-
bus, vt prædia, quæ partim ipsi, partim equestri ordo
olim tenuerant, eos tenere permiserint, vt Crancius Saxon.
lib. 13. cap. 18. Tertiam ἐνστασιον subministrat Brunsvigæ
cum VVormatiâ collatio. Hic in re dissimili quam sui Bo-
dinus similimus? Quàm dispar enim VVormatiæ & Brun-
svigæ conditio? Non persequor singula. Illud negari
nequit, VVormatiam in Imperatorum, Brunsvigam in
Principum & Ducum suorum potestate perpetuò fuisse, nec
vnquam Imperij Urbibus annumerari meruisse. Quòd si
quis de VVormatia hæsitat, præter alios legat Munsterum
lib. 3. Nam de Brunsvigâ superiores expositiones omnia
plana

plana reddunt. Cui si exemplo patrocinandum fuisset, non
 de *VVormatiâ*, sed de *Ratisbonâ* & *Donawerdâ* capiend-
 dum erat. Hæ enim vrbes, etsi diu Ducibus *Bauariæ*, in
 iisque *Henrico Leoni*, subjectæ fuere, tamen, vt se in liber-
 tatem vindicarint, & Imperij vrbibus accenseri cœperint,
 patet ex *Auentino*. Nec pluribus refellendum *Bodinum*
 duximus. Qui ut iniquiore in *Germanos* animo esset, haud
 scio an non soli natalis *Genius* ei aliquid afflauerit. Vt
 enim patriæ ejus Comes, *CAROLVS*, post *Rex Siciliae*
 & *Neapolis*, in *Germanici sanguinis principes*, eosque
 legitimos regnorum istorum heredes, sævierit, idque sibi
 sumserit, quod nec antè, nec post principum vllus sumsit,
 annales, inprimis fundatissima *Pandulfi Collenutij historia*
 loquitur. Cæteroquin probamus regulam *Bodini*, quam
 inseruit *Method. histor. cap. 4.* ETIAM MILITA-
 RI IVRE INFAMEM ESSE, QUI NATIO-
 NEM VERBORVM CONTVMELIA AFFECE-
 RIT. Et quando propemodum populorum omnium censu-
 ram instituit, nemo agrè feret, juxta *Romanæ censuræ*
 formulam *EX ANIMI SENTENTIA*, pau-
 cula quædam pro *Germanis* ab homine *Ger-*
mano ei ressonsa.

F I N I S.

II n
3736

PANEGYRICVS
SCRIPTVS IN HONOREM
FESTIVITATIS,

*Quà Reverendissimus & illustrissimus
Princeps ac Dominus,*


HENRICVS IVLIVS,
Antistes Halberstadensis, Dux Brunovicensis
& Lunæburgensis, in Episcopatus Mindensis pos-
sessionem inducetur.



HELMÆSTADI,

Typis heredum Iacobi Lucij.

Anno clō Is cXX.



TANTOCTICVS

SECRETVS IN HONOREM

REVERENDISSIMO

Domini Rectoris


Universitatis

HENRICOVS IVLIVS

Magister

et

Philosophus



HELMVSTADT

Typis

anno





DE Artaxerxe, Rege Persarum, Plu-
 tarchus scriptum reliquit, nihil eorum, quæ
 ei donarentur, tam vile fuisse, quod non ala-
 criter acciperet. Nam cum Omisus qui-
 dam malum punicum mirabili magnitudine
 ei obtulisset, per Mithram, inquit, hic Vrbi parvæ præfectus,
 videtur eam brevi tempore magnam reddere posse. Alio
 tempore aliis alia offerentibus in viâ, cum operarius homo,
 qui nihil aliud illo temporis articulo inveniret, ad fluvium
 accurrens, aquam inde haustam manibus ipsi attulisset, dele-
 ctatus eo, pateram auream & mille Daricos dono homini
 misit. Hæc mecum cogitans, HENRICI IVLI, An-
 tistes reuerendiss. Princepsq; illustriss. de eius diei auspica-
 tissimâ festivitâte, quâ Mindensis diœceseos administratio-
 ni inauguraberis, & quod ille ait, meo ne metiens modulo ac
 pede, quia pro sortis meæ humilitate dona, quæ honori tuo
 destinatam pompam ornarent, afferre nequibam, negligere
 tamen subiectissimum studium eo officij genere nequaquam
 debebam, quod ab hac statione meâ proficisci posset, neq; Ex-
 celsitatem T. aspernaturam in spem veniebam. Sic enim
 sentio, dignum humeris tuis munus, dignum tot tantisq; vir-
 tutibus, quarum mox primis ab annis specimen edidisti,
 quæq; non minus, quàm Astrologicæ quorundam prædictio-
 nes,

nes, dignitates tuas praesagisse videntur, praemium tibi, *ἢ ἀμοιβήν*, obtigisse. Gratulor igitur hanc fortunam, quā possum & debeo subiectione, gratulantur te sibi Dominum territorij Mindensis ordines, gratulantur denique atq; exoptant sospitem, quotquot vel religionis puritatem, vel saltem Riepub. vel literarum decus amant. Nam haec omnia & singula opem ac praesidium tuum deposcunt, imò reapse variisq; documentis jam experiri coeperunt. Verum priusquam explicationem persequar, nonnulla ad illustriss. maiores, ad tuam ipsius personam, ad muneris assignati functionem pertinentia, praefanda sunt, vt sic ornamenta tua, quae maxima existunt, nosse rectius occipias, & stationem, in qua collocatus est diuinitus, tueare vigilantius. Nec tamen vel expositionibus plenioribus quasi historiam contexere, vel *παράνεον* aut declamationem instituere (nam alterum te obtundere, alterum forsan id videri possit, quod *γλαῦκας εἰς ἀθήνας* prouerbiali Graecorum locutione dicitur) in animo habeo, sed ita argumento isti deserviam, vt neque prolixitas fastidium pariat, neq; breuitas obscuritatem inducat, minimè autem aliena admisceam. Quam ipsam ad rem vetus mihi Periclis repetere votum liceat, nempe ne quod praeter voluntatem verbum excidat, quod ad propositum non faciat.

Principiò satis constare arbitror, paternum genus tuum à nobiliss. **LONGOBARDORVM** gente, maternum à **VVELFIS** esse. Primum autem de Longobardis
agemus,

agemus, sic tamen, vt historiam eorum particulatim enucleare superuacaneum ducamus. Tantum è Tacito locus sanè memorabilis notetur: **L O N G O B A R D I S**, inquit, auctoritatem adiicit paucitas nobilitasque, quòd plurimis ac valentissimis nationibus cincti, non per obsequium, sed præliis ac periclitando tuti sunt. *Hæc ille.* Nomen est non à *barbis*, aut *hastis longis*, sed à loco, quem incoluere, ac si dicas *die langen Börder / vti nunc vocamus die Magdeburgische vnd Halberstedtische Börde.* Nam hunc tractum cum parte veteris *Marchiæ* initio tenuerunt. Inde progressi, & si *Eusebij Chronologie* & *Paulo Diacono* credimus, ad *Oceanum* & *Scandinaviam*, seu, vt quidam legere malunt, *Scaniam* delati, cum iterum **I B O R E** & **A G I O N E** ducibus se commouissent, tandem in *Pannoniâ* sedes ceperunt: cumq; **N A R S E T I** Exarcho fortem operam aduersus **O S T G O T H O S** præstitissent, eâ occasione euocati ab illo postmodum in *Italiam*, occuparunt *Cisalpinam Galliam*: ac duravit tum ab eis conditum regnum vsq; ad **C A R O L V M M A G N V M**. Is enim **D E S I D E R I V M**, postremum *Longobardorum Regem*, *Ticini*, quæ *Papianunc est*, captum in ordinem, & ipsum regnum in provinciam redegit. Nec quicquam exinde *Græcorum* molitiones potuerunt: nam ad hos **A D E L G I S V S**, *Desiderij F.* transfugerat. Ac licet à **C A R O L I I I.** cognomento *Cal-*

vi, quem Carolus Magnus è *LVDOVICO Pio F.* nepotem habuit, temporibus varij in Longobardis motus fuerint, & gentis Principes nunc Regum, nunc Imperatorum dignitatem affectarint, sustulit tamen hunc dominatum penitus demum *OTHO MAGNVS* Cæsar, & feliciter *ARDVINVM* æmulum debellavit *HENRICVS II.* Quare exinde Longobardorum res à nostrorum Imperatorum auctoritate pependere: donec excitatæ à Pontificibus contentiones, alias post alias mutationes & distractiones inuexere, tandemq; Venetos, Gallos & Hispanos attraxere. De quibus hoc loco differere, instituti nostri non esse videbatur. Effloruere autem in Longobardis *ATESTINI* seu *ESTENSES*, ab Ateste, antiquissimo Venetiæ oppido, nuncupati. Nam qui Romanam his originem ab *Atijs* asserunt, eos vt toto cælo errantes alibi refutauimus. Et merito coniecturas suas ijs probandas relinquimus, qui à Francis Atestinos derivârunt. Iidem cum alias ciuitates possederunt, tum Ferrariam Marchionum titulo. *A FRIDERICO III.* Cæs. Ducum ordini ascripti, in eâ dignitate hæctenus perstiterunt, & extortas à Iulio II. Pontifice ciuitates paulatim recuperârunt, vnâ exceptâ Mutinâ, quam *CAROLI V.* beneficio adiecerunt. Postquam etiam cum *Welfis* Atestini sanguinem miscuere, eâ occasione Germaniam repetiere. Qua de re infra plura.

WELFORVM prosapiam, variantibus sententijs ab auctoribus traditam, rectius forsan Suevicam, crediderimus.

rimus. Inde enim esse autumno, quod HENRICVS LEO in Arnoldi Abbatis annalib. genus suum è Sueviâ esse gloriatur. Vetus autem est & celebre SVEVORVM nomen. Nam Cæsar eis centum pagos attribuit, Tacitus nationes plurimas, in ijsq; LONGOBARDOS, & solis Semnonibus, quos à SENONIBVS non discerno, illum pagorum numerum vendicat. Ad eosdem ANGLI pertinent, qui occupatâ anteriore Britaniâ, regnum ibi condiderunt. Constat etiam, Sueuorum partem in Hispaniam migrasse, ibique regnum, quod in septimo Rege desiit, excitasse. Et licet eos Sueuos, qui in Vindeliciâ & Rhetia sedes ceperunt, oppresserint post ALEMANI, tamen regno horum abolito, Sueuorum nomen reuocatum fuit. Ediditq; natio illa cum alias illustres familias, tum VVELFOS, ut diximus, & GIBELINOS, à quibus Ducum & Imperatorum Sueuicorum domus est. Sed pergo iam ad VVelfos. Hos à tali quopiam euentu denominatos volunt. ISENBARDVS, natus patre VVARINO, Comite Altorfensi in Sueviâ, vxore ductâ IRMENTRIVDE, sustulit ex eâ filios duodecim, vno eodemq; partu editos. Fortè autem IRMENTRIVDIS, cum rusticana quædam fœmina tergeminos peperisset, eam adulterij insimulârat, quòd puellari simplicitate ex vno viro plures vno gigni posse negaret. Cumq; deinde ipsa tot, quot dixi, filiolos, marito absente enixa esset, & è tam numerosâ sobole similem infamiam metueret, vno retento, reliquos vndecim prome conde in riuo proximo submergendos tra-

dos tra-

dos tradiderat. Sed conseruati hi inopinato patris interuentu fuere. Is enim domum rediturus, forte fortunâ mulierculam baiulam obuiam habuit, & sciscitatus, ecquid sarcinae ferret? cùm responsum tulisset, catulos esse, inde eos videndi cupidine incessitur: quod quia blanditiis obtinere non poterat, vim adhibet: sicque detectos infantulos clàm educari, & ubi adolescentiae annos ingressi fuere, cùm uxori tùm propinquis sisti curat. Quibus intercedentibus, cùm noxam uxori condonasset, ut filij exinde nomine, quod à promâ condâ accepisset, hoc est, *VVELFI* appellarentur, sanxit. Nam idem nomen nostrâ linguâ catulos exprimit. Fertur autem reliquis fratribus extinctis, is, quem mater educandum retinuerat, superstes mansisse, & familiam propagasse. Quam primùm extulit *LVDOVICI* Pij affinitas. Hic enim *IUDITHA*, *VVELFI* filiâ, uxore ductâ, fratris illius filio, *HENRICO* (nam ad istum modum plerique genealogiam hanc tradunt) *Ravesburgum* & alias per *Sueviam* possessiones concessit. Estq; *Iudithâ* illâ natus *CAROLVS CALVVS* Cæs. cuius posterij in *Galliis* regnârunt vsque ad *HVGONEM* Capetum. Nam huius origo *Saxonica* è *VVIDECHINDI* Magni stirpe esse censetur. Repetiit affinitatem illam aliquanto pòst cum *VVELFORUM* domo *LVDOVICVS*, *Ludovici Germanici* filius. Collocata enim ei nuptum fuit *LVITGARDIS*, quam *Henrico*, de quo dictum, natam accepimus. Ac sunt, qui *VVELFOS* tum parte *Banariæ* à *Ludo-*

Vico

vico donatos velint. Tandem *Welfus III.* ducatum Carinthie cum Marchiâ Veronensi in Italiâ adiecisse perhibetur. Cumq; soror *CUNIZA*, seu Cunegunda, *AZONI* Estensi matrimonio sociata fuisset, natus inde *WELFVS III.* cognomento Senior & Robustus, in *Welforum* familiam transiit, & idem nomen filio, qui fuit *WELFVS V.* habuitq; in matrimonio *MATHILDAM*, Comitess, celeberrimam ex *HENRICI III.* Cæs. historia, item nepoti & pronepoti reliquit. Nam alter *Welfi III.* filius, *HENRICVS*, cognomento Niger, itidem alterum è filiis suum ferre nomen voluit. Est autem hic *HENRICVS*, quem *Helmoldus* Leonem, alij Superbum cognominant. Idem ducta *LOTHARII II.* Cæs. quem vulgò Saxonem vocant, filiâ *GERTRUDE*, eo matrimonio Saxoniam acquisivit, possidendamq; cum *Bavariae* ducatu filio *HENRICO LEONI* reliquit. Etsi enim contentiones nonnullæ intercessere, composita tamen res fuit *FRIDERICI BARBAROSSAE* Cæs. auctoritate. Enituitq; ab eo tempore *Henrici Leonis* uti potentia ita & virtus summa. Nam ut cæteras eius res gestas taceam, *HENETOS*, maris Baltici accolas, penitus edomuit, & ad Christianæ religionis professionem adegit. Nec minora ejus in Cæsarem beneficia extitere: quippe cui & *Romæ* contra seditiosam multitudinem, & in expeditionibus *Longobardicis* insignem operam navavit. Verùm cum hac ejus felicitas occultè cæteros Principes vreret, nec

G

ad ex-

ad extremum Cæsar, quam vellet, ab eo impetrare militiam
 posset, grave inde in illum odium exarsit, plurimosq; aduer-
 sarios concitavit. Vnde factum, vt ingens & dignitatis
 & fortunarum naufragium fecerit, amissâ scilicet Bauariâ
 & Saxonie parte. Eluxit tamen in eâ Henrici Leonis
 calamitate constans ejus atq; infractus animus, & dignum
 tanto Principe existimationis tuendæ studium: inde enim
 extitit, quod neq; in exilium proficisci dubitavit. Vbi
 deinde OTHO F. ejus nominis IV. Imperator creatus
 fuit, tametsi facilè ei fuisset, mox familiam in integrum re-
 stituere, potiozem tamen Imperij curam habuit. Cui cum
 asseruisset, quæ per Italiam Pontificum fraude alienata es-
 sent, vt ne quid porrò in suis amplificandis posset, Innocen-
 tij III. artes obstitere. Ab eo enim anathematis ful-
 mine ictus, non Italiâ solum, verum etiam reliquo Imperio
 excidit. Idcirco fratris VVILHELMII filius, OTHO,
 ita postmodò cum FRIDERICO II. Cæs. (is Othoni
 patruo oppositus æmulus fuerat) transegit, vt Dux Brun-
 suigæ & Lunæburgæ inauguratus sit, hancque dignitatem
 ad posteros, qui magnâ cum gloriâ hucusque conseruârunt,
 transmiserit.

Sed in his fortè fui longior. Repeto ergo de VVelfis:
 tametsi horum nomen & opes feliciter exceperit VVEL-
 EVS IV. superesse tamen hodie è masculâ eorum progenie
 Comites ZOLLERENSES in Sueuiâ, à quibus Electo-
 rum & Marchionum Brandenburg. domus est, superesse
 etiam

etiam in Romanis proceribus *COLVMNIOS*. Ut eo matrimonio, quod te, *HENRICE IVLI* Princeps edidit, ab eadem stirpe deductæ familiæ rursus coaluisse videantur: omitto, ex *Atestinorum* sanguine majores tuos, qui *Saxoniam* primùm acquisivere, ceu postliminio in hanc terram remigrasse. Nam *LONGOBARDI*, unde paternos natales trahis, quemadmodum suprâ monuimus, antiquissimas in *Saxonia* sedes habuere.

Nunc reliquæ ab *OTHONE* Duce derivatæ propaginis historia perstringenda esset: sed nolui propositi fines transilire. Vnum istud teneatur, *HENRICE IVLI* Princ. ijs & hosce majores tuos honoribus perfunctos, quos summis ordinibus competere scimus. Nam & *Cæsares* & *Reges* & *Archiepiscopos* & *Episcopos*, aliasq; id genus dignitates, in his reperias. Enimvero de *FRIDERICI*, qui *Cæsar* designari meruit, egregiâ & heroicâ virtute testimonia annalium in medio sunt. Atque utinam non nefarie invidorum insidiæ hunc interceptissent, & optatissimo Germaniam præsidio orbassent. Is enim omnium opinione futurus fuerat, in quem meritò *Ennianum* de *Fabio Max.* elogium ad talem modum detorqueamus:

VNVS HOMO NOBIS BELLANDO RESTITVET REM. *OTHO*, ad regnum *Neapolitanum* euectus, animosius quàm feliciter id gessit, neque adeò hostis admiratione caruit, cum hanc existimationem primùm ei conciliassent *Italicae* sub *Carolo IV. Cæs.* expeditiones. Cæteros incul-

care singulatim non debeo. Interim id rectè affirmare posse
 videor: cum semper in gente nostrâ Martium decus vige-
 rit, eam gloriam præcipuè domui Brunsvigensi mansisse.
 Qua de causâ & proavus tuus, HENRICE IVLI Princ.
 & avus Bellicosi cognomentum tulere. Quanquam ut
 ambo in dissimilia tempora, ita & in fortunam dissimilem
 incidere. Sed in eam modo commemorationem digredi
 visum non fuit. Major enim hîc sese dicendi campus aperit,
 quàm qui præsentî instituto nostro conveniat. Accedo er-
 go ad patrem tuum, Principem, inquam, laudatissimum, nec
 ulli majorum virtute secundum. Fit autem plerunque, ut
 quos ad res magnas gerendas fortuna destinavit, eos antè ad-
 versis quibusdam casibus premat, & quasi exerceat. Qui-
 bus enim IVLI Principis adolescentiæ & juventæ anni
 injurijs expositi fuerint, dici à me nihil attinet. Tantùm
 istud ἐν πλάτῃ monuisse sufficiat, sortem, in quâ tum vive-
 ret, tam virtute ipsius inferiorem extitisse, quàm nunc u-
 tranque justâ veluti trutinâ æquatam cernimus. Postquam
 igitur auiti paterniq; principatus hæreditatem adiit, nihil ei
 fuit antiquius, quàm ut religionem ritè constitueret, rem-
 pub. formaret legibus, & in populo subjecto opt. disciplina-
 rum artium & studia, utcunque antea excitata, vehemen-
 tius confirmaret. Nam ut nihil de religione, nihil de re-
 pub. præterea addam, hanc quidem laudem ejus amplissi-
 mam ducamus necesse est, quòd in ea Saxoniam, quæ hodie isto
 nomine propriè nuncupatur, (excipio enim Septemviralem,
 excipio

excipio veterem Vestualorum) quæque hæcenus quædam Martis officina, ἢ πῆδον ἐναλίων ἀνδρῶν, ut de Epheso & Dalmatiâ Plutarchus & Dionysius scripsere, primus Academiam fundarit, itaque fundarit, ut nomine suo insignitam propitij erga literas favoris sui perpetuum monumentum esse voluerit: cum scilicet facile perspiceret, quod eâ in repositum decus esset, nec ignoraret, summos quosque Reges & Principes id affectasse, inde perennem nominis famam, quæ haud aliter quàm literis comparatur, promeruisse. Nec aliam tam præclarum institutum prædicationem nostram requirebat. Est enim res in medio, est quoque apertum omnibus, quanti referat, mox teneris ab annis rectâ disciplinâ & literis imbui. De ipso Iulio Princ. repetere liceat, cum in reipub. administratione ita se composuerit, ut horridis Martis armis quasi sepositis, ad optimam rerum pacem, quemadmodum Silius cecinit, animum adjecerit, meritò ei pacis ornamenta curæ esse. Neque extruções ipsius, eæque præardue ac sumtuosissimæ, sed istuc solùm destinata, ut commodo publico seruiant, neque ut olim siue priscorum regum Aegyptiorum PYRAMIDES, siue Artemisiae Caricæ MAVSOLEVM, vel aliæ id genus moles inanem luxum aut ambitionem ostendent obscure sunt. De quibus me verba facere, necesse non est, quando ut stratæ viæ publicæ, & ductæ fossæ nobilissimis Romanorum ducibus sempiternam apud posteros admirationem conciliârunt, ita in primis eæ fossæ, quas Iulij Princ. benignitate ad nauales subuecciónes

cœptas scimus, pro vidum ejus ad terras suas respectum egregiè loquantur, neque immeritò nomen inde tulerint. Accedit his, & ceu fastigium quoddam præeminet, *ACADEMIA IULIA*, de quâ diximus: durabitque id nominis & memoriae ejus monumentum, non dico quàm diu Academia illa, sed literæ ipsæ durabunt. Neque enim hæc talis & tanti patroni obliuisci poterunt, imò accuratiore studio posteritas celebrabit, quod inuidiæ & obtreccionis formido reticere modò cogit.

Venio nunc ad te, *HENRICE IULI* Princ. verissimam aui patrisque imaginem, quippe quos uti nominibus conjunctis, ita etiam animi dotibus representes: sed ita venio, ut si parte hac brevior fuisse videbor, memineris te eum esse, qui exquisitis elogijs minimè indigeas, & quæ jam sunt tempora, vix ea assentationis suspicione carere posse, statuas. Etenim sic natus, sic educatus, sic ad omne virtutum genus informatus es, ut hoc tantùm restare videatur, ut majorum, ut tui quàm similimus esse pergas. Id quod si meæ, si omnium expectationi dabis (daturum autem nemo ambigit) nunquam vel natalibus, vel virtuti tuæ præmia deerunt. An non enim adhuc infans Antistes Halberstadenfis designatus es, sic ut ejus dignitatis non patrem solùm sed auum quoque spectatorem habueris? Vbi deinde literarum & disciplinæ ætas tua capax fuit, felix quasi tirocinium fecisti scholastico Academiae Iulie magistratu. Ac licet aliquando post capeffere rempub. cœperis, adeò tamen
Musa-

Musarum castra non deseruisti, ut potius ipsius in eâ militiâ insignem profectum feceris, neque vel te ipsum, vel morum & doctrinæ magistros tuos, pœnitere natae operæ possit. Quid quòd tam laudato instituto nec cœlestis renumeratio defuit? Postquam enim diœceseos Mindensis administratione se abdicavit illustris Comes, HERMANNVS SCHAVMBVRGIVS, quem honoris causâ nomino, fecit virtutum tuarum fama, vt inter tot competitores ipse potissimum ei surrogarere. Quod munus cum cum solenni inauguratione propediem suscepturus sis, ita persuasum habebis, quæ antè tanquam in vmbra didicisti, nunc in lucem proferenda esse. In primis autem firmiter animo tuo inhærebit religiosæ pietatis cura. A quibus enim hostibus, & quibus machinis, doctrinæ cœlestis veritas oppugnetur ac vexetur, te non præterit. Atque accessit nata intrinsecus sanè fœdissima, & pijs mentibus molestissima labes, quòd veluti in partes ij discessere, qui ejusdem se Ecclesiæ ciues profitentur. Hæc enim res ut optatam aduersarijs maledicendi fenestram aperuit, atque adeò Ecebolos & transfugas quosdam peperit, ita metuendum, ni maturum & salubre remedium adhibeatur, ut ipsius doctrinæ lucem extinguat, nec licentiam solùm quæuis comminiscendi accendat, sed in graues quoque tumultus seditionesq; desinat. Nam ita fermè agitur, ijsq; moribus viuatur, ut ubi quis læsum se ab alio existimat, vel quempiam odit, aut in quæstionis alicujus disceptatione ab alio dissen-

dissentit, inde illicò tum ad vulgus declamitando, tum potentiores & eos, qui in aliquo numero sunt, concitando, causam publicam faciat, & se ita quidem comparet, ut magis aduersario incommodare, quam veritati patrocinari velle videatur. Quanquam hanc nominis & religionis Christianæ maculam recentem non esse constat: Sunt enim veteres historie, sunt quæ singulariter de Ecclesia Byzant. habet Nicephorus Gregoras lib. 6. in medio. Vt ne autem ad eos scopulos delatus impingas, sed rectum cursum teneas, tutò te ducent præter sacrarum literarum præceptiones atque normas, orthodoxæ antiquitatis exempla. Nam qui hanc Cynosuram sequitur, facilè portum tenebit, vt contrà, qui alienas vel suas cupiditates duces sibi proposuerit, exors periculi & culpæ esse nequiverit.

Proxima te cura reipub. tangere debet. Quam ita re-
ctissimè geres, & verè ἀναίματον tenebis, ut de Alexandri
Mammæ imperio scripsit Herodianus lib. 6. si quibus mo-
ribus (dico autem optimos) populum subiectum esse volue-
ris, ijs ipsemet te effingas, itaque omnia agas, ut ne liberum
posteritatis iudicium extimescas. Appositè enim & præ-
clarè Claudianus:

Nec sic inflectere sensus

Humanos edicta valent, ut vita regentum.

Et memorat è Platone Cicero talem quandam γνώμην: **QVA-
LIS IN REPVB. PRINCEPS FVERIT, TA-
LES RELIQVI SOLENT ESSE CIVES.** Quæ
γνώμη

γνώμην ita ANTIGONO GONATAE, regi Macedo-
 niæ, arrisisse perhibetur, ut cum Zenonis Cittiei, Stoico-
 rum principis, operam per literas peteret, has eadem clause-
 rit. Ac tametsi fieri interdum videamus, quod Tacitus mo-
 nuit, nimirum ut ad Principum, dum adhuc in vitâ sunt,
 potentiam ceteri mussent, à morte tamen liberæ voces e-
 rumpunt. Iam & istud tenebis, nihil utile esse posse, quod
 non idem honestum existat, quemadmodum ea sententia,
 egregiè à Cicerone disputatur. Semperque cane peius &
 angue, ut cum Horatio loquar, eos oderis, quos ex Impera-
 toribus quidam IXIONIOS AMICOS appellabat, hoc
 est, assentatores & delatores: NEC VLLAM FIR-
 MIOREM CUSTODIAM DVCES, QUAM SVB-
 DITORVM BENEVOLENTIAM ET FIDEM.
 Eam verò isto facilimè & comparabis & tuebere, si CLE-
 MENTIAE ET BENEVICENTIAE studeas. He
 enim virtutes duæ ut maximè in Principibus viris conspi-
 cuae sunt, ita quoque maximè illos decent atque ornant. Per-
 tinetque huc, quod Aristoteles ALEXANDRVM MA-
 GNVVM discipulum monuisse scribitur, regnum sibi datum
 meminisset πρὸς εὐεργεσίαν & πρὸς ὕβριν. Et æquè memorabi-
 lis vox est RVDO LFI I. Cæs. quem domus Austriaca
 conditorem habuit: Se, si quid clementer & moderatè e-
 gisset, pœnituisse nunquam, si quid iracundè & asperè, sæpè.
 Adderem & alia nonnulla id genus, nisi talibus præceptis
 te jam antè abundare statuerem. Vnum istud repetendum vi-

H

debatur

debat, *VT OPTIMVS EVADAS, OPTIMO-
RVM TIBI PRINCIPVM EXEMPLA SELI-
GENDA ATQVE IMITANDA.* Nec hinc maio-
res inculco (quippe qui nunquam effluere animo tuo debe-
ant) sed & aliena te intueri ornamenta a deo. Sic enim
cum Cicerone tum Cos. & quidem in Româ adhuc liberâ, vt
Iuvenalis prædicat, Pater patriæ: cum Iulio Cesare sacro-
sanctus, benemeritus, nec ulli violabilis Princeps, imò &
aliorum perfugium, vt Appianus addidit: cum Augusto do-
minus æquus & clemens: cum T. Vespasiano delicia & a-
mor generis humani: cum Trajano Princeps opt. habebere
atque appellabere: denique id consequere, quod primo loco
dictum oportuit, vt Dei effigies sis, quemadmodum de suis
regibus credi Persas voluisse, Plutarchus memorat.

Postremò ad te pertinere existimabis, ut propitio respe-
ctu atque ope literarum studia subleues. Qua enim hæc de-
nuò in fortunâ esse cœperint, fermè referre pudet. Neque
hinc unam & certam disciplinam aut artem, sed universam
ἐγκυκλοπαιδείαν, denique & linguas, quibus illa, traditur,
commendo. Nam ubi harum studium friget, nec inferio-
rum artium fundamenta fideliter jacta fuerint, quicquid su-
perstruxeris, corruat necesse est, vt rectè Quintilianus. Pe-
culiariter autem, omnique contentione in eam eruditæ do-
ctrinæ partem incumbes, quæ rerum gestarum memoriam
complectitur, & à Græcis petito nomine *HISTORIA*
appellatur: neque hæc cognitio tua in vnâ aliqua personâ,
populo,

populo, regno subsistet, sed totam antiquitatem spectabit. Sic enim innumeris, iisque utilissimis & fugiendorum & expetendorum documentis instruèris, & verè βασιλικὸν κτήμα comparabis, imò id consequere, quod διπλοῖς ὀμμασιν ὀρεῖν Græcorum proverbiali locutione dicitur. Nam inde est, quòd cum alijs elogijs historiam celebrat Cicero, tum eo præcipuo, quòd magistram vitæ nominat. Et pertinet eòdem, quòd Diodorus habet in præfatione: Ad vitæ, inquit, institutionem utilissima historia censenda est, tum junioribus, quos lectio diverfarum rerum senioribus æquat prudentia, tum verò ætate maturis, quibus diuturna vita rerum experimenta subministravit, Et paulò post: Omnium rerum, quib. felicitas hominis paratur, laudem præcipuam causamque Historiæ tribui decet. Est enim custos eorum, quæ cum virtute acta sunt, testem se malefactis, beneficamque erga omne genus hominum præbens. Etenim si ea quæ de inferis, & quidem fabulosè feruntur, multum conferunt hominibus ad pietatem ac justitiam servandam, quantò magis putandum est, Historiam, veritatis assertionem, tanquam totius Philo-
 H 2 sophiæ



sophiæ parentem, mores nostros effingere posse ad virtutem? Omnes enim mortales naturæ infirmitate quasi punctum temporis vivunt, si eorum vitam cum æternitate conferas, & in posterum omninò intereunt. Atque eorum quidem, qui nihil memoriâ dignum gessere, moriuntur vnâ cum corpore cætera omnia. Virtutis verò facinora immortalia sunt, cum historiæ beneficium accessit: *Et iterum*: Cætera monumenta ad parvum tempus perdurant, varijs casibus disturbata: historiæ virtus per vniversum orbem diffusa, ipsum, quod cætera consumit, tempus sui custodem habet. *Item Polybius*: Nulla hominibus facilior ad vitæ institutionem via est, quàm rerum antè gestarum cognitio. *Et mox subiicit*, & à multis dictum, veram disciplinam exercitationemq; ad res civiles, historiæ cognitionem esse, eamq; solam ob exempla alienorum incommodorum effectricem & magistram esse, vt quis possit fortunæ varietatem æquo animo ferre. *Hæc illi. Quod si etiam exemplis, HENRICE IVLI Princ. quibus vel*

bus vel excitareris vel confirmareris, hinc agere instituissem, quem potentissimorum ac nobilissimorum Monarcharum, Regum, Principum contexere catalogum possem? Sed neque ad te opus erat, & ipsi hoc quasi munere defuncti alibi sumus. Tantum istud de DEMETRIO Pbalereo reticendum non videbatur: eum PTOLEMAEVUM PHILADELPHVM Regem, conditorem celebris illius Alexandrinae simul Academiae, simul Bibliothecae (nam ut de illa ejusque laudibus nihil dicam, hanc quidem 700000. Volumina habuisse, apud Gellium legimus) crebro hortari solitum, ut libros de regno scriptos diligenter evolveret: quia quae amici, seu Consiliarij, Reges monere non auderent, ea libros habere. Quid, quod memoriam Regum & Principum nihil aeque firmiter conservat, atque adeo immortalitate quadam consecrat, quam historicae descriptiones? Qua de re ut passim obvia, & instar trophaeorum de tot heroibus in literas relata antiquitatis testimonia omitam, non potui non subijcere de COSMO MEDICE e Iovij historia locum sane memorabilem: Ipse Cosmus, inquit, ut erat incomparabili judicij gravitate, infinitaque prudentia, supra caeteras res omnes, studiosis egregijsque rerum scriptoribus fauendo, donandoque immortalitatem literarum beneficio gloriosam quadam aviditate concupiuit, quod ciues, qui-



60 PANEGYR. SCRIPT. HENRICO-IVLIO.
bus ipse permulta pecuniæ atq; honorum be-
neficia contulisset, vel immemores aliquan-
do futuros, vel omninò interituros diceret.
Itemq; prætoria, villas, templaque à se regio
sumptu ædificata, haud multò post vel tem-
poris vel hominum injuriâ labefactari posse,
ac absumi penitus arbitraretur. *Hactenus Iovius.*

*Peroravi breviter, de quibus in præsentì verba facienda
existimassem, neq; ab imminentis inaugurationis festiuitate
aliena fore videbantur. Utinam autem operæ precium fa-
ctum sit: quâ in re si quid forsàn desiderabitur, fuerit quod
rectæ voluntatis conscientia, & tuendi officium conatu me
consoler. Restat nunc, HENRICE IVLI Princ ut conjun-
ctis votis & animis à Deo opt. max. precemur, vt te longissi-
mâ vitâ beet atq; sospitet, & magisterio Spiritus sancti uni-
versas actiones tuas dirigat, gubernet, felicitet, deniq; partes
honores conseruet & amplificet: vt digna Atestinis & VVel-
fis majoribus progenies, nec plus ab his gloriæ accepisse, quàm
ipse posteris reliquisse, videare: censeareq; in eorum Re-
gum & Principum numero, quos omnium maximo præco-
nio Esaias vates nutritores Ecclesiæ & Poëtarum
apud Græcos princeps Homerus ποιητάς
λαῶν appellavit.*

F I N I S.

ULB Halle

3

002 178 729



d. 11. 16. QK. 2. 16

X 2725839/6

II n
2899

REINERI REINECCII
STEINHEMII,

DE

ANGRIVARIIS, AN-
GARIA OPIDO, ET IBIDEM
VVIDECHINDI MAGNI MONV-
mento, quæq; alia partim ex Historicorum,
partim ex incolarum relatu, adijci rectè
posse videbantur,

COMMENTATIVCVLA.



HELMÆSTADI,

Typis heredum Iacobi Lucij.

Anno dñi 1720.





HOrsit an haud absrefecero, si *VV*IDECHINDI MAGNI, quem Carolus Magnus, rex Francorum, & primus ejus nominis Imperator Germanus, equalem & ex contentione de finibus, nonnullaque religionis, quam *VV*idechindus patriam, id est, Ethnicam profiteretur, emulatione pluribus annis gravissimum atque acerrimum hostem habuit, & tandem potius comitate ac mansuetudine, quam vi & armis delinitum atque expugnatum ad Christianismum pellexit, imagini quaedam de ortu, vita, bellis & condita satum ejus gentilitate adijcerem. Et quia regia potestate atque nomine Saxonibus *VV*idechindus imperavit, imprimis autem familia ipsius Angriuariorum civitatem subjectam habuit, de utraque gente non inconveniens videri explicatio possit. Verum ut de *VV*idechindo ejusque majoribus ac posteris disceri paucis non poterat, taceo, has partes jam alios suscepisse, neque nihil nos alibi conatos esse, ita Saxonum historia, & ipsa amplissima, nec a nobis etiam antehac praeterita, aliud argumentum deposcebat. Tantum ergo hic de Angriuarijs Angariaeque opido, tum quae ad *VV*idechindi monumentum pertinebant, agemus, sic tamen ut magis summatim omnia persequamur, quam justae expositionis veluti apparatus studeamus.

Celebrant



Celebrant in priscis Germanorum nationibus Pli-
nius & Tacitus Angrivarios, & ille quidem inter Estevo-
nes, quod nomen plerique Germanicum, Westwöner esse
autumant, collocavit. Ptolemæo ijdem Angriarij dicun-
cuntur, qui nominis sonus cum linguæ nostræ enunciatione
convenit aliquantò propiùs. Est enim à campestri pla-
nicie, von den Ungern / ac si dicas Campanos: ut contrà
Marsi & Bruçteri palustres exprimunt. VVidechindus
Monachus Angrivarios, seu, vt ipse vocat, Angarios Sa-
xonibus accenset. Facit enim Saxonix populos tres, O-
rientales, seu vt alij Germanicam vocem retinentes apellant
Ostualos, Angarios, VVestualos: siue reverà Saxonibus
Angrivarij, quemadmodum & Angli Sueui (vnde An-
gli-Saxones quibusdam dicuntur: suntque ijdem qui An-
glia nomen dederunt) se immiscuerint, seu cum his sedes An-
grivariorum occupassent, inde denominationem simul mu-
tuati fuerint. Tulit etiam de Angrivarijs nomen opidum
Angaria, tulisse etiam existimatur Angermunda, ad conflu-
entem Anagri & Albis. Nam ea genti antiquissima se-
des attribuitur. Vnde progressi cum Chamavis in Bru-
çterorum finibus, vti est apud Tacitum, hoc est ad Amisix
caput, & Visurgis Luppiæque ripam consedere. Sed re-
deo ad Angariam. Quod olim opidum non incelebre fuit:
quippe quod VVidechindi ejusque majorum regiam habue-
rit, & ipsi familia, adeoque toti regno nomen dederit. Ar-
gumenta quæ id doceant, quia alibi dedimus, inde repeti,
I quàm

quàm novâ hîc mentione inculcari satiùs esse duximus. Tempore belli Saxonici, cujus adversus Francos auctor & dux *VV*idechindus extitit, cujusque principium collocatur in annum *IESV CHRISTI DCCLXXII*. Angaria in potestatem Caroli Magni devenit. Sed ubi ad Christianæ religionis professionem *VV*idechindus perductus cum Carolo pacem fecit, Angaria ad eum redijt. Quam deinde exornare, vel potiùs Christianismum in gente suâ stabilire aggressus, fanum, quod etiamnum ibi superest, condidit, & sacrum Canoniorum collegium adjunxit. Id postmodum Crancius alibi *Her*vordiam, alibi, & nominatim quidem ab Henrico Aucupe *V*allerslevam, territorij *Lunæburgensis* opidum, addito tum Episcopo, indeque rursus ab *Othone* Magno *F.* qui archiepiscopatum inde erexit (sic enim loquitur) *Magdeburgum* translatum dicit. Sed potior fortè incolis ipsis debetur fides. Hi è majorum quasi per manus traditis sermonibus narrant, divisum *Angariense* collegium fuisse: nam dimidiam partem *Her*vordie, alteram dimidiam *Magdeburgi* sedem cepisse. Certe quidem *Her*vordenses ita vt *Angarienses* *Ioanni* & *Dionysio* consecratam ædem habent, & adhuc *VV*idechindi ossa cum alijs quibusdam monumentis, quæ *Angariâ* asportarunt, monstrant, denique jus *Ecclesiasten* ibi constituendi retinent. Cùm autem cum reliquo *Saxonie* & *VVestualie* Ducatu aliquoties *Angaria* dominos mutasset, tandem post *Henrici Leonis* calamitatem cessisse

Comiti

Comitibus Lippiensibus perhibetur. Ex his Simon Bern-
 hardi F. quem circa annum M C C L X V. vixisse acce-
 pimus, acerrimas cum Osnabrugensibus similtates habuit,
 & ex arcibus Angariâ & Rhedâ magnis eos cladibus affe-
 cit. Habebant verò tum Osnabrugenses Præsulem Ludo-
 vicum, è Comitum Ravesburgensium domo. Qui cum Si-
 mone pugná congressus, cum superior discessisset, captum
 Osnabrugam deducit, ibique per integrum sexennium in cu-
 stodiâ detinet. Nam conditiones captivo graves propone-
 bantur, ea vero potissima, vt Angariensem arcem & mœnia
 demoliretur. Quod quia acerbum ei videbatur, nec tam no-
 bili propugnaculo spoliandam familiam censebat, componi
 non potuit: donec vt assentiretur, à fratre Bernhardo ei
 persuasum fuit. Sic ergo tum & arx destructa, & opidum
 muro nudatum fuit. Quanquam ab hac expositione nonnihil
 variare ea videntur, quæ habet Crancius Metropol. lib. IIX.
 cap. LII. Satis etiam constat, ipsam Angariensem præfectu-
 ram Comitibus Ravesburgijs oppigneratam fuisse, & qui-
 dem, vt ajunt, pecuniâ non magnâ. Possidetq; hac occasio-
 ne hodie Angariam Dux Iuliacensis. Interim tamen jus,
 nomen & magistratus civitatis Angaria retinet, cum alio-
 qui planè vicum referat. Mansit & colli, in quo arx sita
 fuit, nomen: appellatur enim die Burgstette. Atque
 eam quidem aream, in hoc tempore caupona occupat. Sed
 pergo jam ad ea, quæ de fano & V Videchindi monumento
 restant. Representat id fanum formam crucis, itaque re-



præsentat, ut quatuor hemicyclia exprimat. Collis, in quo situm est, eo, qui arcem habuit, aliquanto editior est. Primum versus orientem hemicyclion includit altaria duo, alterum in ipso diametro, seu aditu, augustius, alterum humilius. Medium ferè inter hæc interstitium *V*Videchindi monumentum intercipit. Cujus longitudo est circiter pedum $7\frac{1}{2}$. latitudo duorum, altitudo $2\frac{1}{2}$. Basis & tumba lignæ sunt, cui tumbæ cyppus impositus imaginem *V*Videchindi insculptam habet. Ea talis est. Longitudo haud minor octo palmorum esse videtur. Facies admodum decorata, sed longiuscula cum mento raso & naso plano, regiam quandam gravitatem, nec solum animi magnitudinem, sed ingenij quoque sagacitatem atq; acumen præfert. Coma capitis prominentior ad nigrum colorem accedit, ipsum caput pileus cæruleus tegit, cui gemmis radians diadema implicatum: tametsi hodie gemmis evulsis, tantum palæ ostendantur. Vestis interior est talaris punicea, quam excipit trabea coccinea, margaritis refertissima. In ea limbus aureus, qui gemmarum veluti emblemata intertexta habuit, conspicitur. Nunc enim palæ solummodo reliquæ sunt. Tertia vestis est toga cærulea, preciosis pellibus subducta. Eadem exterius asteriscis quibusdam aureis coruscat: & prætextam auream gemmæ ornant, licet & hæc amissæ sint. Manum dextram erectam tenet, sed ut medius digitus indicem ex transverso premat. Nam eam quasi naturalem notam *V*Videchindum habuisse, incolæ affirmant. *Læva*
manus

manus sub exteriori togâ latet, sed ut eâ sinum faciat, itaque sceptrum gestet. Calcei, qui deaurati, talos attingunt, ad digitos pedis in formam acutam desinunt. In medio seturam excipit margaritarum ordo. Ipsam imaginem tegunt valvæ duæ, quas sustinent totidem triangulares tabulæ. Ea, quæ ad caput cernitur, quasi dissecta insignia habet: nam dextrum latus est nigra dimidiata aquila in puniceo, sinistrum septem aurea lilia in cœruleo campo. Margines sepulchri continent epitaphium:

Ossa viri fortis, cuius fors nescia mortis,
Iste locus claudit, euge bone spiritus audit.
Omnis mundatur hunc regem qui veneratur:

Aegros hîc morbis rex cœli sanat & orbis.
Cæterum quâ religione & veneratione superiorum temporum superstitione hoc *VV*idechindi monumentum coluerit, ut alia reticeam, de eodem epitaphio planum fit. Hac nostrâ tempestate in Evangelicâ luce solemnes quædam exequiæ retinentur, quas incolæ ad *VIII*. Id. Ianuarij, quæ sunt τὰ ἐπιφάνεια, *VV*idechindo faciunt. Etenim ita consuetudo obtinuit, ut è pagis finitimis agrestes tanquam strenas quasdam conferant, quæ deinde à magistratu instar sportularum in egenos distribuuntur. Atque eodem die nescio quod æris campani impulsu certamen instituitur. Comperi & alia ad *VV*idechindi memoriam celebrandam observari.

*Sed quæ singulatim hîc perstringenda non putavi. Vnum istud de Angariæ ruinis addo, sæpenumerò accidere, vt quoties ædificiorum fundamenta jaciuntur, vel putei aut cellæ subterraneæ fodiuntur, in ruderibus veteris armaturæ reliquæ, in primis autem ejus generis hastæ, quarum præcipuus in ludis equestribus vsus fuit, reperiantur. Quod & ipsum priscae celebritatis, & procul dubio factorum ibi ludorum equestrium, præbere documentum videtur. Ac memorant incolæ Principem quendam, qui cùm ante annos non multos isthac transisset, has sibi hastas monstrari, & inter antiquitatis *μνημόσυνα* recondi atque asservari jussisse.*

F I N I S.



AK. 119

REINERI REINECCI
COMMEN

SAXO
ORIGIN

hisque implica
nexa

VRBE ET DVCA
exqui

Quæ instar APOLOG
inconsideratæ IOANNI
lib. 2. de Repu

Editio altera, ac

IOANNIS TA

in discursu suo falsa

IVSSV SV P
ex auctoris autogra



HELMÆ

Typis heredum I

Sumptibus Zachari

ANNO M.

100
27



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

